nio ducis consilia cautiora, ut impetus aut in frumenta...
res palantes, aut in castra relicta cũ leui mani præsidi...
fieret. Nec Annibalem fefellit, cum duce mutatam esse b...
rationem, & ferocius, quàm consultius, rem hostes ges...
ros. Ipse aũt (quod minimè quis crederet) cùm hostis p...
pius esset, tertiam partem militum frumentatum, dua...
in castris retentis, dimisit: deinde castra ipsa propius h...
stem mouit, duo fermè à Gerione millia, in tumulum ho...
conspectum: ut intentum sciret esse ad frumẽtatores, si...
uis fieret, tutandos. Propior inde ei, atq; ipsis immin...
manorum castris tumulus apparuit: ad quem capiend...
si luce palàm iretur, quia haud dubiè hostib. breuiore...
præuentus esset, nocte clàm missi Numidæ ceperunt. q...
tenenteis locum contempta paucitate Romani postero...
cùm eiecissent, ipsi eò transferũt castra. Tum itaq; ut...
guum spacij uallum à uallo aberat, et id ipsum totum p...
pè compleuerat Romana acies, simul & per auersa ca...
à castris Annibalis equitatus cum leui armatura em...
in frumentatores latè cædem fugamq; hostium palato...
fecit. nec acie certare Annibal ausus: quia tanta pauci...
uix castra, si oppugnarẽtur, tutari poterat. iamq; art...
Fabij pars exercitus aberat, iam fermè sedendo & cũ...
do bellum gerebat, receperatq; suos in priora castra,...
pro Gerionis mœnibus erant. Iusta quoq; acie, & col...
signis dimicatum, quidam authores sunt. primo conc...
Pœnum usq; ad castra fusum, inde eruptione facta re...
uersum terrorem in Romanos: Numerij Decimi Sam...

de

itulum imaginis posteris, ut dictator pro prodicta
eretur, facile obtinuisse. Consules M. Attilius Regu
Seruilius Geminus exercitu accepto, hybernaculis
cõmunitis (tum enim autumni erat tempus) Fabij
cum summa inter se concordia bellum gesserunt.
tatum exeunti Annibali diuersis locis opportunè
, carpentes agmen, palantesq; excipientes. in ca-
uersæ dimicationis, quam omnibus artibus petebat
on ueniebant. adeoq; inopia est coactus Annibal,
im fugæ speciem abeundo timuisset, Galliam repe
uerit: nulla relicta spe alendi exercitus in eis locis,
entes cõsules eisdem artibus bellũ gererent. Cùm
onem iam hyeme impendente constitisset bellum,
tani legati Romam uenere. ab ijs quadraginta pa
eæ magni ponderis in curiam illatæ, atq; ita uer-
ut dicerent, scire se Romani populi ærarium bel-
riri: & cùm iuxtà pro urbibus agrisq; sociorum,
te atq; arce ac Italiæ urbe Romana atq; imperio
æquũ censuisse Neapolitanos, quod auri sibi cùm
m ornatum, tum ad subsidium fortunæ à maiori-
um foret, eo iuuare populum Romanum, si quam
sese crederent, eodem studio fuisse oblaturos. gra
Patres Romanos populumq; facturum, si omnes
olitanorũ suas duxissent: dignosq; iudicauerint,
donum animo ac uoluntate eorũ, qui libentes da-
m re maius ampliusq;, acciperent. Legatis gratiæ
acta

nienfis, qui per biennium ...
præcisisq; manibus dimissus: & serui quinque & u
in crucem acti, quòd in campo Martio coniurassent.
ci data libertas, & æris grauis uiginti millia. Leg
ad Philippum Macedonum regem missi ad deposce
Demetrium Pharium, qui bello uictus ad eum fugiss
in Ligures, ad expostulandum quòd Pœnum opibus
lijsq; suis iuuissent: simul ad uisendum ex propinqu
in Boijs atq; Insubribus gererentur. Ad Pineum quo
gem in Illyricos legati missi ad stipendiũ, cuius dies
rat, poscendum, aut si diem proferre uellet, obsides
piendos. adeò, & si bellum ingens in ceruicibus era
lius usquam terrarũ rei cura Romanos, ne longinqu
dem, effugiebat. In religionem etiam uenit, ædem Co
diæ, quam per seditionem militarem biennio antè L
lius prætor in Gallia uouisset, locatam ad id tempu
esse. itaq; duûmuiri ad eam rem creati ab Aemylio
tore urbis, Cn. Pupius et Cæso Quintius Flaminius,
in arce faciendam locauerunt. Ab eodem prætore ex
tusconsulto literæ ad consules missæ: ut si ijs uideret
ter eorum ad cõsules creandos Romam ueniret. se i
diem, qua iussissent, comitia edicturum. Ad hæc à co
bus rescriptũ, sine detrimento reipublicæ abscedi no
se ab hoste, itaq; per interregem comitia habendà
tius, quàm consulum alter à bello auocaretur. Patrib
ctius uisum est, dictatorem à Consule dici comitioru
bendorum causa. Dictus L. Veturius Philo, M. Po

πανταχῆ τὴν ἀλήθειαν

DE HERBA PANACEA, QUAM ALII TABACUM, ALII PETVM, AVT NIcotianam vocant, Brevis Commentariolus.

Quo admirandæ ac prorsus divinæ hujus Peruanæ stirpis facultates & usus explicantur.

AVCTORE

AEgidio Everarto, Antverpiano.

Jo: Barney 1651



VLTRAJECTI,
Pro DAVIDE ab HOOGENHVYSEN
Anno cIↃ IↃ c XLIV.

CANDIDO LECTORI.

ETſi credam Lector Humaniſsime, non defuturos qui hanc opellam ſint culpaturi, non potui tamen amicorum quorundam hortatibus non acquieſcere, quin hęc ipſa qualiacunque paſsim concerpta, aut fide dignis relatubus accepta, evulgari meo nomine paterer: tum quod nihil hic, aut juſtis calumniis obnoxium, aut ætati meę indecorum agnoſcerem, tum quod Reipub. intereſſe videretur, præclaras & admirandas exoticę hujus Plantę vires, à paucißimis fusè ſatis tractatas, orbi innoteſcere. Itaque fœliciter vale ac fruere.

CASTORIS DVRANTIS, MEdici, Civiſque Romani, in Tabacum Herbam ex Luſitania ab Illuſtr. Card. S. Crucis Romam aſportatam Epigramma.

NOmine quæ ſanctæ Crucis Herba vocatur, ocellis
Subvenit, & ſanat plagas, & vulnera jungit:
Diſcutit & ſtrumas, cãcrum, crancroſaq; ſanat
Vlcera, & ambuſtis prodeſt, ſcabiemque repellit,
Diſcutit & morbum cui ceſsit ab Impete nomẽ:
Calfacit, & ſiccat, ſtringit, mundatq; reſolvitq;,
Et dentum, & ventris mulcet capitiſq; dolores.
Subvenit antiquæ tuſsi, ſtomachoque rigenti,
Renibus & ſpleni confert, uteroque venena
Dira ſagittarum domat, ictibus omnibus atris
Hæc eadem prodeſt, gingivis proficit, atque
Conciliat ſomnum, nuda oſſaque carne reveſtit:
Thoracis vitiis prodeſt, pulmonis itemque,
Quæ duo ſic præſtat non ulla potentior Herba.
Hanc Sancta crucius Proſper, cum Nũcius eſſet
Sedis Apoſtolicæ Luſitanas miſsus in oras
Huc aſportavit Romanæ ad commoda gentis,
Vt Proavi ſanctæ lignum Crucis ante tulere,
Omnis Chriſtiadũ quò nunc Reſpublica gaudet
Et ſancte Crucis illuſtris domus iſta vocatur,
Corporis atque Animæ noſtræ ſtudioſa ſalutis.

DE TABACO HERBA, QUAM ALII PETVM, ALII *Nicotianam vocant*, *Historia*.

NIcotianæ Herbę longe pręstantissimæ, ac in usu medico admirabilis historiaJam contexere, ideo maximè adductus sum, quod cum varii de re herbaria scripserint optimè; præter unum tamen Nicolaum Monardem, medicum Hispalensem (qui peculiarem historiam de stirpibus & aromatibus ex novo Orbe allatis descripsit) paucissimi nobilis hujus Stirpis varias ac præcellentes dotes pro dignitate satis explicuerint. Cum vero plurimos esse non dubitem, qui easdem cognoscere vehementer desiderent, ne hi sua voluptate diutius fraudentur, utque quam nomine norunt, re ipsa tandem pernoscant: non gravatè hoc munere perfuncti sumus, ut quanta fieri potuit brevitate ac fide,

 in lu-

in lucem daremus, quæ partim au-
dita ac lecta, partim comperta domi
habebamus, adjunctis ſimul huc,
quæ tum in aliis auctoribus, ſparſim
erant obvia, deinde etiam domeſti-
ca experientia longo uſu comperta
accepimus.

Genus. Nicotiana cum habitu ipſo, tum
facultatibus Conſolidam ſatis re-
fert, ut ſpeciem ejus quandam
ſuſpicari non abſurdè liceat, potius
quam Hyoſcyami lutei, ut viſum eſt
nonnullis.

Differentiæ. Triplex fere obſervatur, Mas, Fœ-
mina & tertium quoddam utroque
imperfectius.

Maſculi deſcriptio. Mas quidem folia habet ampla,
denſa, oblonga, pinguia, dilutè viri-
dia, acuminata, tenuiter hirſuta, viſ-
coſa: ſed minimè crenata; cauli ſic
adhærentia, ut ipſum quodammodo
amplecti videatur, odore gravi, gu-
ſtu acri ac fervido, infernè ad radi-
cem quam ſupernè majora. Cau-
lem producit rectiſſimum, qui ad
quaternos, quinoſque pedes, inter-
dum & cubitus aſſurgat pro ſoli cui
inſeritur calore, pinguedine ac cul-
tu-

tura : ſuaque pulchritudine oculos mirificè recreat.

Rami è nodis ac geniculis per intervalla protuberantes, caulem partiuntur pedali aut ſemipedali intercapedine. In ipſo ramorum vertice flos erumpit colore albeſcente & roſeo, quem incarnatum vocant, campanulæ forma, è ſiliqua, tanquam è calice enaſcens, quæ tandem in orbem, mali ſpecie turgeſcens, ubi flos emarcuit, ſeminibus minutiſſimis repletur, Hyoſcyamo luteo ſimillimis, quæ natura quidem nigricant, prius autem viridia ſunt. Ad radicem valde luxuriatur ſurculorum frequentia ſeſe quodammodo redintegrans, cum tamen radices non niſi tenuia quædam ſtamina ſint, alia aliis craſſiora, ac breviora, pro plantæ ſuę altitudine. Succum reddunt uti & folia, pinguem ac reſinoſum, flaveſcentem, odore reſinoſo, non ingrato, ſapore acri ac mordaci. Vegetiores plantæ radices habent craſſiores & lignoſas, quæ ſurculis maximè luxuriant, coloris flaveſcentis, guſtu amaras, quę vir-

Rami.

Radix.

tute Rhabarbaro creduntur æquipollere, quanquam nec hoc ſatis adhuc compertum ſit.

Fœminę deſcriptio.

Fœmina vero minutiore ac humiliore eſt caule, foliis brevioribus ac minoribus minuſque reſinoſis. Florem edit minus apertum ac dehiſcentem, colore minus roſeo: ramos nec tam altos, nec tam extuberantes habet, atque Petum maſculum. Errant itaque toto cælo, qui hanc Priapejam fecere, atque ac ſi Satyrii. regii ſpecies eſſet. Errant inquam.

Hæc enim quam Petum fœminam dicimus, nec effigie, nec habitu, nec radice, nec colore, nec aliter Satyrio reſpondet: nam radices quidem plurimas, atque exiguas, caulem villoſum, ramos complures, folia multa, eaque oblonga & ampla habet, eſtque calida & ſicca, Peto maſculo aſſimilis. Satyrion è contra paucioribus radicibus ac craſſioribus, culmo minimum nodoſo, ramis nullis, paucioribus foliis, florem oſtendens in ſummo caule, abſque ſiliqua & granis, calidum & humidum in tertium uſque receſ-

ſum,

ſum, Veneri maximè provocandæ idoneum.

Tertium Peti genus per omnia minus, folio rotundiore, ſubnigro, pingui, leviter hurſuto licet ſucculento, flore minore & per extremum rotundo palleſcente ante annos circiter viginti Europę innotuit. Dodoneus Hyoſcyamum luteum: prior vero Matthiolus nigrum appellavit. Tertium Peti genus, vulgo Hyoſcyamus niger aut luteus.

Seritur Kalendis, Idibus aut Nonis Aprilis; aut circiter: nonnunquam ſerius vel maturius, pro ratione caloris: quanquam Indi Peruani, & Hiſpanię novæ incolæ circa Autumnum ſerant. In calidis regionibus frondet, floret, ac germinat, uno eodemque tempore, totos novem, decémve menſes: ſed apud Belgas ab Auguſto in hyemẽ uſque floret, & ſubinde ſemen profert, deinde primo gelu marceſſit, peritque tota, vixque hyeme aſſervari poteſt, niſi in fictilibus aut viminaceis, idque in hypocauſtis, penuariis aliiſve locis calidioribus. Tempus

Pingue, ſeduloque excultum poſtulat ſolum & quidem frigidiori- Lotus.

bus hiſce regionibus, inſigniter ſtercoratum, cuique fimus (potiſſimum vero equinus) ita commixtus & incorporatus ſit, ut in terram prorſus degeneraſſe videri poſſit. Præterea opacum ac humidum, juxtaque amplum ac ſpacioſum terræ ſitum expetit: nam locis anguſtioribus nequaquam ſuccreſcit, ramôſve profe-ret. Solem amat auſtralem, & à tergo murum aut parietem, quo ab imminentibus Boreæ injuriis vindicetur, quique receptos Solis radios, ac calorem commodè reflectat. Ab omni turbine libera ſit oportet, ob incredibilem ſui teneritudinem, cum inſigni magnitudine conjunctam: quanquam ubi altiores egerit radices, ventorum periculum fere evaſit. Aqua mirè gaudet: ac proinde irrigata ſubinde, cælo præſertim fervidiore felicius proveniet. Frigoris eſt impatientiſſima: ideoque hyeme locis concavis ac ſpiramentoſis in hoc paratis continenda eſt, aut duplici matta circumcingenda, & appendice ad murum adverſum erecta lodice, ſtramineóve tegmine o-
pe-

perienda in tabernaculo quod meridiano Soli ſplendidè pateat, ac calore plantam reficiat.

Terram vero antequam ſemen injicias digito perfodi, conjectiſque in foramen decem aut duodecim granis, eadem rejecta terra cooperies diligenter. Tria autem vel quatuor grana in foramen ne conjeceris: ob nimiam enim ſui exilitatem ſuffocarentur. Quod ſi cęlum calidius ſit, irrigandus eſt locus diebus xv. poſt ſationem. Poterit etiam ſeri ut lactuca, aliaque id genus ſemina: terram nimirum accuratè miſcendo, congerendóve. Sunt qui puriſſimum ac tenuiſſimum ipſi terræ cinerem commiſceant, ſed modicum, lentè ac tardè enaſcitur: enata ab omni frigoris injuria ac gelu accuratè munienda, nocteque in primis tegenda, præcipue cum ſuccreſcit: ita quidem nativum virorem ac ſplendorem incorruptum perpetuò ſervabit. *Serendi modus.*

Vbi jam herba ad ſemipedem emerſerit, quod ſingula grana ſuum caulem proferant, & radicum fibrę *Transplantatio.*

inter ſe cohęreant, & quodammodo adglutinentur, cultro terram circumſcribere, ceſpitem circum circa findere, terram denique ipſam attollere, ac in ſitulam aqua plenam conjicere oportet, quo expeditius terra ipſa ſeparetur, & cauliculi ſupernatent. Quos deinde auferes ſigillatim integros, ac eadem ſua terra comprehenſos, tranſplantabis in ſolum probè ſtercoratum, trium aut quatuor pedum interſtitio à muro, ſed profundius, ut caulis robuſtior evadat. Quod ſi terra muro aut parieti vicina infœcundior ſit, ſterilitatem predicta ratione culmis tranſlatis, diligenti irrigatione emendaveris.

Nomenclatura. Nicotiana nomen ſibi retinuit à Ioan. Nicotio, cujus beneficio Galliis primum innotuit: veluti & pleræque ſtirpes ac plantę hominum tum Græcorum, tum Latinorum nomina obtinent, qui eas in regionem ſuam ubi obſcuræ eſſent transferri ſtudioſius curaverint. Hic ergo Nicotius, regius Galliarum Conſiliarius, cum annis 1559. & 1560. ſui Regis nomine legati munere in

Luſi-

Lusitania fungeretur, Vlyssiponæ vero regium carcerem die quadam perlustrare cogitasset, nobilis quidam Belga, ostensam illi plantam hanc velut exoticam, atque è Florida provincia nuper allatam dono obtulit. Acceptam Nicotius in horto suo diligenter educari curavit, atque propagari, donec adulta jam facultatum suarum stupenda ederet miracula. Vnde cœpit in precio esse Vlyssiponæ, dicique Herba legati. Quoniam vero à Nicotio ob effectus admirandos, ad regem Franciscum ejus nominis secundum, Reginam matrem, aliosque primę dignitatis aulicos sit transmissa, nonnulli eam Herbam Reginæ aut Mediceam nominarunt ac celebrarunt, quæ & ipsa tum diversis excolendam, ac per universam Galliam propagandam tradiderit. Sunt & qui magni Prioris herbam nuncupent quod is é Galliis aliquando in Lusitaniam trajectus, & Vlyssiponæ ab ipso Legato exceptus hospitio, plantas ejusmodi non paucas dono acceperit, ac in hortum suum perlatas

Herba Legati.

Herba Reginæ aut Medicea.

Herba Prioris.

Petum. Tabaco. tas præ cæteris ibi adoleſcere alique adlaborarit. Hiſpanis Petum & Tabaco dicitur, ab ejus nominis inſula in qua primò inventa eſt, ubi magna copia creſcit, unde & nomen ſortita eſt. Picielt. Indis vero ejuſdem incolis Picielt. Herba S. Crucis. Hanc Illuſtriſs. Cardinalis à S. Cruce, cum S. R. E. Nuntius Apoſtolicus in Luſitaniam miſſus eſſet, inde Romam primus aſportavit, unde & ibidem herba S. Crucis dicitur: pleriſque Herba ſancta aut ſacra, ob divinos certe & prodigioſos effectus vireſque. Complures Petum maſculum nominant ad diſtinctionem fœminę: eſtque genuinum illud ac proprium herbæ nomen, ipſis Floridæ incolis uſitatum, à quibus ad nos pervenit.

Nicotiana unde dicta. Dignum tamen ac rationi conſentaneum fuerit Nicotianam à nobis appellari, in memoriam honorificam ſupradicti legati Nicotii, qui primus Galliam tam præſtanti ac divina herba dotarit.

Petum fœmina. Secundam quam diximus Peti ſpeciem, teſtatur abunde experientia artium omnium magiſtra, (cum for-

forma, radice, atque ipſo etiam ſemine ad maſculum fere accedat) vocandam eſſe Petum fœminam: vel eò magis, quod ex Peti maris ſemine non rarò proveniat. Nam ſi Peti maſculi dum ſemine turget, gramina quædam in terram excidere contigerit, in eandem, inquam, in qua Petum jam ante excreverit, haud dubie ibidem anno proximo proveniet hæc Petum fœmina. Imo vero ſi terræ non ſatis calidę, ſed ſteriliori ac arenoſę Peti maſculi ſemen mandaveris, hujus loco fœminam producet, tanta quidem luxuriè, ut ægrè tãdem illinc ſit extirpanda, ſed quotannis ſponte renaſcitura: quod ſane argumento eſt in Peto ſexum eſſe duplicem, ut & in aliis pleriſque plantis uſu venit, quibus affinitas quædam intercedit.

Ex odore reſinoſo, nec ingrato, ſapore item acri ac mordaci, natura calida eſſe videtur ſupra ordinem ſecundum: ſicca autem in primo: ad extergendum ac reſolvendum & conſolidandum in primis aptiſſima, imo ad miraculum efficax. Nam quod

Temperamentum Nicotianę maris & fœminę.

quod fumo ebrietatem quandam accerſat, non proinde Hyoſcyami ſpecies eſt, etſi eam tum foliis ac calicibus, tum culmo ac ſemine ſatis referat, quandoquidem idipſum nec tam cito fieri eſt credibile, neque extremi eſt frigoris effectus: ſed ab aromatico potius vapore quo proficiſcitur cerebri ductus replente. Tertii autem generis Nicotianæ ſeu potius Hyoſcyami lutei vel nigri, temperamentum eſt frigidum & humidum.

Nicotianę effectus ſi ſpectabis, primas obtinent folia, deinde ſemen: tametſi multò ſit illis inferius. Foliis utendum aut viridibus, ipſo nimirum maturitatis tempore, aut certe exſiccatis, ac hyeme in pulverem redactis. Nam iiſdem pollent viribus quibus foliorum ſuccus aut ſpiſſamenta. Deſiccandi vero modus hic eſt. Nicotianæ pulcerrima folia & mediocria filo trajicito, & ad umbram in domus tabulato ſuſpendito, ubi nec Solem, nec ignem, nec ventum ſentiant. Alii hanc quovis anni tempore ſervandi rationem

Vſus & affectus.

tra-

tradunt. Nicotianæ folia viridia in Phialam olivarum oleo plenam immitte: cum vero utendum erit, oleum effundatur, foliisque tenui linteo extersis utitor ut recentibus.

Tollit. lassitudinem.

Porro in effectibus ejus id in primis mirum videbitur. Indos Occidentales, Peruanos & Floridæ incolas, ad tollendam lassitudinem solatiumque in laboribus sustinendum hac ipsa usos esse. Quorum exemplo (inquit Nicolaus Monardes) servos nostros ac Mauros, qui in Indiam Occidentalem peregre profecti sunt, idipsum factitasse comperimus: nam ex crebris saltationibus & choreis defessi & lassi eam ore naribusque attrahunt: unde idem illis quod Indis evenit: horis nimirum tribus aut quatuor mortuis similes videntur: postea integris viribus sunt, atque ad labores tolerandos multò quam prius alacriores. Quod quidem ipsis tam volupe est, ut subinde ab hominum conspectu secedant, quò liberius animo obsequantur, etiam si non sint defatigati. Quid, quod eò vesaniæ deveni-

veniunt, ut hoc nomine non raro pœnas suis heris luant, qui & exuri Nicotianam studiose curant, ut desidiosæ voluptatis istius occasionem ipsis adimant. Quid verbis opus est? Vidi ego, scribit Nicolaus Monardes, servos, Maurosve quibus non permittitur inebriari vino, hoc succo sorbendo sese obruere, in quo non parvam voluptatem statuant, jactentque sublatam inde lassitudinem, nulloque suo vel damno vel malo tam bellè exceptos esse

Nicotianę succus inebriat.

Fumigatio ex Nicotianę foliis desiccatis.

AEque inauditum est & mirandum, Floridę incolas statis anni temporibus, solo istius Herbæ fumo pasci, quem per cornua huic usui comparata in os recipiunt. Cujus rei testes locupletissimi erunt vel ipsi Nautæ, compluresque alii è Florida nuper reversi, ac in dies etiamnum revertentes, qui appensis ad collum quibusdam ceu cornubus aut infundibilis ex palmę foliis, junco, cannisve, in quorum extremis congesta ac ligata apparent ejusmodi folia præ siccitate jam emarcida, mirificè sibi placent. Hi prunas infundibuli an-

gustiori

gustiori parti applicant, aperto ore excitatum fumum haurientes, quo ad ejus fieri potest, quo famem suam sitimque sedari, vires restaurari, spiritus exhilarescere, cerebrum jucunda quadam ebrietate deliniri, ejusque superfluos humores absumi: in summa phlegmaticorum humorum copiam incredibilem in os prolici jurejurando asseverant.

His affinia sunt quę prędictus si Monardes Hispanico suo Idiomate scripta reliquit. Indi, inquit, Nicotiana utuntur ad sedandam famem ac sitim, imo arcendam illam ad dies aliquot, ne cibo potuque uti cogantur, quoties peregrè illis est proficiscēdum per avia ac inhospita ac loca deserta, ubi cibus potusque difficulter haberi potest. Foliis nimirum mandendo pulverem admiscent ex adultarum concharum testis, quæ simul ore continent dum in massam coeant: ex qua trochiscos formant pisorum instar, quibus ad umbram siccatis, suo tempore hoc modo utuntur. Subjectum labiis unisque dentibus globulum inter cun-

Ad sitim, famemq; sedandam.

eundum exugunt, ſuctumque omnem cibi potuſque loco deglutientes in ventriculum congerunt: hac equidem induſtria famem ſitimque tolerantes totos tres quatuorque dies, ut ne minimam quidem virium jacturam ſentiant, conſervato, ut opinor, nativo calore à Phlegmatum copia, quam in os attractam ſimul deglutiunt: & ventriculus, melioris ſucci pænuria, in uſum ſuum vertit. His adjungamus quod Clariſs. Rembertus Dodonęus, medicus Cæſareus, vir ſingulari eruditione, magnificè de ſtudio Herbario meritus, in noviſſimè edita ſua ſtirpium hiſtoria recenſet.

Succo, inquit, hujus epoto, quatuor aut quinque unciarum pondere, alvum vehementer ſupra infraque turbatam, longum deinde & profundum ſubſecutum ſomnum ab amico obſervatum accepimus. Fuit autem qui aſſumſit homo ruſticus, fortis, mediæ ætatis, hydrope laborans, qui ſomno expergefactus, cibum potumque poſtulavit, ac deinceps bene habuit. Narravit idem ſe

Hyſtoria ad Hydropē:

aqua

aqua ex foliis ſtillatitia, ruſticos multos febre liberaſſe, paulo ante acceſſionem propinata. Aridarum vero fæcum pulvere intertrigines, non modo hominum ſed & equorum & animalium cito curari. Hactenus Dodonæus.

Vt autem particularius ad Nicotaniæ effectus deſcendamus. In primis ad τα παθιματα, id eſt, affectus præter naturam capitis de turbandos, nempe catharrum omnem vertiginem, oculorum defluxiones, capitis dolorem, modo ex cauſa frigida, aliaſque hujuſmodi particulas læſione morbi obſeſſas, plurimum facit pulvis foliorum Peti, ſubtiliſſimè tritus cribratuſque, & in utranque narem per cannulam matutinis temporibus inſufflatus, omnem humorem caput infeſtantem inſtar Errhini purgat & divertit, dummodo illo pulvere per aliquot dierum ſpacium, corpore prius bene purgato, utantur.

Ad affectus capitis.

Catharrū.

Vertiginem.

Oculorum defluxiones.

Capitis, crurum, brachiorumque dolores, à vento, aut frigore contracti, remittuntur, ſi unum aut alterum

Cephalalgia.

terum Peti folium, viride tamen, igni extinctum appoſueris. Si viridia deſint, utendum erit deſiccatis, quæ vino humectata, ac ferventi cineri ſuppoſita, deinde Naphtę aqua conſperſa, utiliter affecto loco admovebuntur. Tantundem effeceris reſiccatorum foliorum pulvere, admixtis iis quæ hiſce morbis apta ſunt. Repetenda vero eouſque curatio, donec prorſus dolor evaneſcat. In tetano ſimili modo cervici vel nucæ applicata Peti folia proderunt.

Caligo. Carolus Cluſius nebulis oculorum diſcutiendis aquæ liquorem conferre aſſerit, viſumque præſervare, ſi ſæpius eodem oculos tepidè abſtergas.

Surditas. Surditati remedium præſtat (ſi præſertim cauſam habet frigidam) olei vel ſucci gutta una atque altera tepidè auribus inſtillata, diebus aliquot repetitis.

Ozena. Scribit Doct. Monardes, ſe vidiſſe quendam qui diu exulceratas nares habuerit, unde multum puris ac mucoris eaſdem depaſcentis profflueret.

ret. Tandem cum Nicotianæ ſuccum ſe conſultore per nares reſorpſiſſet, ultra. xx. vermiculos excrevit primum, deinde rariores, donec tandem nulli reliqui eſſent: adeo ut interna narium ulcera, ſpeciem polypi dixiſſes, curata ſint : tametſi ambeſæ ac eroſę partes fuerint irreparabiles, ut futurum etiam erat de reliquis, niſi Medici conſilio acquieviſſet.

Rubor faciei.

Faciei ruborem tollit ſuccus & ſpiſſamentum, in quo tenue linteolum intinctum ſit, maxilliſque applicatum. Idem pręſtat olei Nicotianę unctio, & aquæ ejuſdem ablutio.

Dentium dolor.

Dentium dolorem à vento aut frigore natum globulus ex Nicotianę foliis viridibus aut ſiccis compactus, atque ore contentus (probè tamen abſterſis prius dentibus linteo quod illius ſucco maduerit) admodum mitigat, omnemque putredinem tollit: quod tamen remedium fruſtra adhibetur, ſi dolor cauſam habeat calidã. Aqua etiam ſtillatitia Nicotianæ dẽtes dolẽtes utiliter abluun-

luuntur.

Gingivarum ulcera & aphtę. Ad gingivas exulceratas & aphtas fit mixtura cum melle rosarum & succo granatorum acidarum, quę mundificat, abstergit & incarnat.

Brāchos. Guttutis ex rheumate refrigerati dolores, aliosque ex causa frigida corporis affectus, folia sub cinere fervido calefacta & loco dolenti applicata mitigant. Poteritque ex ejusdem Herbæ decoctione, vel per se, vel cum aliis ad hunc affectum appropriatis fieri gargarismus.

Thoracis affectus. Asthme. Pectoris aut thoracis affectibus mirificè conducit, atque iis qui purulenta excreant. Asthmaticis quoque, & aliis morbis inveteratis, si decoctio fiat ex saccharo, & purgato ventriculo exigua quantitate diebus aliquot repetitis sematur. Sic folia Peti ex aqua cocta admixto saccharo, vel potius expressus foliorum succus, in syrupum, julepum vel apozema percoctus, jejuno stomacho duarum aut trium unciarum pondere quotidie sumptus, spirandi difficultatem, inveteratam tussim lenit; crassos, viscosos putridosque hu-

Tussis inveterata.

humores educit, ægro tamen universè prius & integrè purgato. Poterit etiam fieri ſyrupus aliis pectoralibus foliis Peti aut Nicotianæ, adjectis, ceu glycyrrhiſa, uvis paſsis jujubis, carycis, prunis dulcibus, dactylis, herbis etiam ad hos affectus appropriatis, capillo Veneris, adianto, ſcabioſa, praſſio & ſimilibus: ceu.

Recip. Capill. Veneris, adianti veri, praſsi, farſaris ana M. j. folia Nicotianæ numero 2. vel 3. paſſularum ſine acinis, hordei integri ana pug. 1. glycyrrhizę raſæ ℥. 2. fiat decoctum ad lib. 1. & dulcoretur cum ſaccharo & melle q. ſ.

Aliud magis attenuans & incidens Reci. ſcabioſæ, marrubii, adianti, rutæ murariæ ana M. 1. & ſ. carycas x. uvarum paſſularum unc. 1. folia Nicotianæ v. glycyrrhiſæ raſæ ℥. 2. fiat decoctum in libra aquę mellis ad duarum partium conſumptionem. Adde colaturæ oximelitis, ſyrup. capill. Veneris ana unc. 11. oxymelitis compoſiti unc. 1, miſce.

Idem præſtat aqua Peti cum aqua Euphraſiæ, quotidie jejuno ſtomacho pota, ut expertus eſt D. Iarnacus Rupellæ Gubernator, (quem Nicotius habebat Regis Galliæ conſiliorum ac negotiorum conſcium) quem in primis herbæ hujus participem eſſe voluit. Hic ergo regiis epulis una cum Legato accumbens, Aſthmaticum hoc modo ſe omnino curaſſe affirmavit. AEgros nonnullos Aſthmate vexatos, ſcribit Nicolaus Monardes, ex India Occidentali aut Peruana regione redeuntes obſervavi folia viridia mandentes, & ſuccum inde promanantem ſorbentes ad purulentas materias expellendas: qui licet inebriarentur, plurimam tamen utilitatem inde ſenſiſſe apparebat, cum ad pus, tum pituitam pectori inhærentem educendam.

Pulveris Nicotianæ uſus.

Idem efficit Peti exſiccati pulvis, ſi quantum pollice & indice digitis comprehendere poteris, ad radicem linguæ ad partem palati detineas per aliquam temporis moram (cavendo ne pulverem deglutias) unde poſt

post breve temporis spacium, senties humoris Phlegmatici copiam ab ore diffluere, quę durabit donec mediocrem humoris aquosi discum impleas. Tandem ubi satis fluxisse videatur, vino albo præstanti os ablues, idque singulis diebus matutino tempore jejuno stomacho iteralis. Quod si id molestius sit, alternatim tertio die repetes, dummodo generalia prius ex arte præmissa fuerint. Eodem modo affectibus pectoris partibus adiacentibus, seu pulmoni, æsophago, gurgulioni, ex affluxu humorum laborantibus utilis est.

Ad oris ventriculi ex humoris redundantis copia, in ipso nati vel aliunde affluxi passiones, doloresque ejusdem inveteratos, aut renum antiquos præter naturam affectus, membra insuper ex longo ac diuturno morbo contracta, summopere conducit pulveris exsiccatorum foliorum Nicotianæ instar apophlegmatismi usus. Ventriculi dolor.

Nicotianæ folia magnopere commendant occidentalis Indiæ mulieres, quod tam infantium ac Cruditates.

puerorum quam adultorum ſtomachi cruditates tollat, ac flatus diſſipet, concoctionem reſtituat, ventrẽ emolliat, ſi prius olivarum oleo inungatur, & folia ſub fervido cinere calefacta ventris regioni applicentur, & quoties opus erit renoventur. Cinis vero non diſcutiatur, ſed etiam novus aſpergatur, ad majorem efficaciam.

Crapula. Imo ſi ejuſdem folia ſimiliter apparata ventri cibo potuve obruto admoveas, crapulam, nimiamque repletionem non parum removebis. Eadem ratio eſt pulveris foliorum exſiccatorum, ſi quantum indice & pollice comprehenderis, cochleari uno vel altero aquæ vitæ, cum lecto incumbere volueris, admiſceas. Tollit enim crapulam, tum & ſomnum conciliat, & pituitam reſolvit.

Syncope. Qui animo linquuntur, priſtinas vires ſtatim recipiunt, ore ac naribus hauſto foliorum ſuffitu, vel pulvere naribus per cannulam aut tubulum attracto.

Colicus dolor. Ventris, alvique torminibus, coli-

co

co dolori, aliisque à flatibus, ventositate, aut frigore morbis, mirificè prosunt, si eadem calidissimè admoveas, sæpiusque repetas, donec dolor sit remissior.

Ad idem valet & pulvis foliorum exsiccatorum cum vino albo aliove liquorum, cum indormire volueris sub noctem ad semidrachmæ vel unius drachmæ dosim plus minusve assumptus.

Simili utendi ratione, iliaci quoque dolores foliorum usu sublevantur. Neque erit alienum in clysterum decoctionibus ejusdem Herbæ folia aliis admiscere, velut in emplastra & fomenta, quod magno emolumento futurum sit. Iliacus dolor.

Verbi gratia R. Mercurialis, rutæ, altheæ, centaurii minoris singul. Manip, 1. Hyssopi, calamenthæ absynthii M. 1. & s. fol. Nicotianę v1. Radicis altheæ unc. s. seminum lini, fœnogręci ana drac. 3. seminis cumini, anisi ana drac. 1. & s. bulliant n aqua justæ quantitatis donec tertia pars absumpta fuerit. Deinde ccipe juris decocti, colati lib. 1.

hierę picræ unc. ſ. benedictæ laxativę drach. vi. Butyri recentis, mellis roſacei colati ana drach. vi. oleorum rutacei, anethini ana unc. i. & ſ. ſalis vulgaris drachm. i. commixtis omnibus fiat clyſter.

Hepar. Nicotiana ſi cum Fumo terrę diſtilletur mirificè prodeſt ad omnes hepatis affectus. Advertendum tamen ut minor ſumatur fumi terræ quam Nicotianæ quantitas.

Splen. Succus Peti foliorum cum pauculo aceti contuſorum, vel eorum ſpiſſamenta, quæ Græcis στιμματα dicuntur, loco dolenti ſplenis aut lienis è cauſa frigida obſtructi & indurati, matutino tempore à frictione admota, eundem ſolvit & emollit. Poſt frictionem vero folium ex cinere calefactam, aut linteum ſucco madidum applicari debet. Alii loco ſpiſſamentorum, unguentis eidem malo idoneis uti ſolent, quibus ſuccum admiſcent, ejuſque folia ſuperaddunt, qua ratione duros ac inveteratos tumores diſſolutos conſtat.

Hydrops. Hydropicis mirificè opitulatur pota quotidie jejuno ſtomacho a-

qua

ua ſtillatitia. Porro ſicca Peti aut Nicotianæ folia ſi prunis ſuperimponas in cacabo, ac torreas, oreque umum per cannam aut infundibuum capite & gutture probè tectus ttrahas, tantum pituitæ ac viſcoſi umoris excernes, ut non ſecus ac iuturno jejunio attenuatus videri oſſis. Vnde videtur Hydropiſin ec dum confirmatam, ejuſmodi hymiamate eſſe curabilem, cum erte Aſthmaticis, quoſque invete-ata tuſſis excruciat, & rheumaticis, ui craſſa, viſcoſaque multa excerunt præ cęteris mirè profuerit.

Succus foliorum Nicotianæ con-uſæ clarificatus, ſaccharo ſyrupi pecie commixtus, & mane exigua uantitate ſumptus, ventris lumbri-os ac vermes ejicit: ita tamen ut ontuſa folia linteo involuta ægri mbilico applices, atque ex lacte & accharo clyſterem injicias. Lumbrici & vermes.

Eſt etiam pulvis ejuſdem vel per ,vel cum aliis lenitivis mixtus prę-entaneum remedium ad hemorhoides: nam illas omnino curat. Hemorrhoides.

Nec minori efficacia uteri dolo- Vterus.

res pellit foliis prędicto modo sub fervido cinere calefactis, & umbilico admotis, qui prius tamen unctus sit oleo, in quo succus horum foliorum bullierit. Suffocatio vero matricis recepto per pudenda foliorum suffitu rollitur.

Suffocatio matricis.

Ischiadicis dolor lenitur si olivarum oleo perfrices, & unicum Peti folium igni extinctum apponas.

Ischias

Idem conducet in omni arthritidis genere à frigore nato. Sunt qui ejus folia singulis diebus mane à jejunis mandi jubent, ut podagræ doloribus liberentur, quod multam pituitam in os proliciat, inque partes inferiores fluere prohibeat: quo fit ut foliorum exsiccatorum pulvis pręservet à podagra eos qui per circuitus pedum doloribus vexantur, si ipso Peti foliorum exsiccatorum pulvere in utranque narem injecto usi fuerint. Similiter qui jam podagra cruciantur sumpto instar Errhini pulvere dolorem remissiorem, morbique decretionem manifestè sentient, donec vicissitudine temporis sæpissimè illo utendo

pror-

prorſus liberentur. Poteſt etiã inſtar apophlegmatiſmi pulvis in ore detineri: nam utroque modo magnam humoris copiam ex capite trahit, ac divertit ne in partes fluxioni obnoxias labatur. Deniqne cuilibet corporis particulæ ex cauſa frigida laboranti, folia recentia ipſius Peti calide applicata frigiditati reſolvendæ conveniunt: nam dolorem penitus auferunt, & validiſſimè reſolvunt, vel per ſe applicata, vel cum aliis ad eundem ſcopum facientibus appropriata; ubi forti reſolutione opus eſt: veluti.

Recipe, ſagapeni, bdellii, elami ana drachm. 1. diſſolvantur in aceto: & ſub finem adde foliorum aut pulverum Peti exſiccatorum unc. 1. olei camomœlini unc. 1. ceræ quod ſ. Fiat emplaſtrum ſecundum artem: hoc enim potentiſſime reſolvit, doloremque ſedat. Poterit etiam fieri hac forma.

R. tacamahacæ, carannæ, ana drach. III. diſſolvantur ſecundũ artẽ in vino vel modico aceti fortiſsimi:

 poſtea

postea adde pulveris Peti drach vi. olei liliorum, cairini ana drach. v. ceræ q. s. secundum artem fiat emplastrum.

Tumores. Apostemata Perniones.

Ad hæc tumores, apostemata, inflationes: adde & puerorum perniones, vel quivis pruritus, adhibitis Peti foliis, vel succo ipso tepido cum spissamentis, vel etiam linteo ab his madido sanantur. Humores enim resolvunt & dolores sedant. Perniones quidem ut curet, debet locus affectus succo inungi, & spissamentis confricari, sed immissis prius pedibus aut manibus, si & his gelu insit, in aquam quæ sit calidissima, cui pauxillum salis injeceris, quod sæpius profuisse compertum est.

Ad ambusta.

Ambusta quoque Nicotianam sanare certa experientia constat. Compotor quidam vitrum quod manu tenebat cervisia plenum dum servare vult integrum, in ignem concidit, manum sibi amburens. Ibi mulierculæ collatis consiliis post horam unam atque alteram lutum applicant, quo nihil adeo dolor le-

vatus

vatus est, ut nec interdiu nec noctu quiescere potuerit. Itaque animi ac doloris impatiens, matronam quandam Antverpiensem consulit, quam Nicotianæ vires probè nosse àliquoties audierat. Illa ambustionis oras pulvere aspergens, dolori opem ferre tentabat, sed toto triduo parum proficiens. Cum porro gravissimè divexaretur, doloris impatientia desperans ęger, hinc auxilii quidpiam expectandu mcla m subinde Matronæ obmurmurabat, quod Herbæ vires suo in corio periclitaretur, jubebatque omnino lenientia pharmaca adhiberi: quibus cum nihildum dolor mitesceret, revertitur: eandem obtestans, ut qua primum cœperat medendi ratione pergeret. Illa vero pro pietate sua morem gerente, pulvere asperso intra triduum ægrum curavit.

Porro ad vulnera inveterata, ulcera maligna, cancrosa, ac serpentia, Noli me tangere, ad scabiem, impetiginem, lichenes, scrophulas, bubones, suppurationes σαρκώματα, aliaque id genus prope innumera mirè

Vulnera inveterata.

Vulnera maligna & cãcrosa.

Scabies.

Lichen. Berophulę. mirè efficax eſt, ſucco cum ſpiſſamentis dolenti loco applicato.

Vulnera cruenta. Vulnera quidem recentia niſi ſint juſtò profundiora unico die perſanantur, foliorum Peti ſucco & ſpiſſamentis. Quod ſi in præceps profundum ſit vulnus, ut ſic loquar, vino ablui poteſt, & faſcia ex prædictis madefacta revinciri. Imo profuerit ad curationis compendium, vulnus cum intus, tum foris eodem ſucco abluere ſedata prius inflammatione. Non ita multò poſt quam Vlyſſiponę innotuiſſet Legato ſupradicto Nicotiana, coquorum ejus quidam pollicem fere totum ſibi abſciderat. Oeconomus confeſtim ad Nicotianam confugit, qua aliquoties vulneri applicata, Coquus integrè ſanatus eſt. Atque hinc in precio cœpit eſſe Vliſſiponę, ubi tunc regia erat, dicique Herba legati. Eadem ratio eſt contuſionum, & quaruncunque læſionum: quibus præter ſuccum cum ſpiſſamentis non aliud adhiberi ſolet, loco tantum affecto faſcia deligato. In primis vero obſervanda eſt victus ratio, cui ſi opus

opus ſit accedat idonea purgatio,ut haud ſemel compertum extitit.

Quin & ad ſiſtendum profluentem immodicè ſanguinem, ſive è naribus, ſive è vulnere, aliave læſione, inſignes vires oſtendit Nicotiana, adhibito tantum ſucco cum ſpiſſamentis ad vulnera, naribus vero ſucco reſorpto, aut pulvere per cannulam aut tubulum per nares attracto.

Sanguinis profluviū.

Ad ulcera ſordida luis venereæ abſtergenda & conſolidanda, ac in delicatioribus, præcipuè ſi pars ulcere laborans exquiſito ſenſu prædita ſit, ſummopere conducit decoctum Peti gargariſatum, aut aliis admixtum: quale remedium habes in Iulii Palmarii opuſculo de morbis contagioſis Recip. Hordei integri p. 2. Eupatorii, Nicotianæ, Plantaginis, Morſus Gallinæ Roſ. rub. ſingul. M. 1. Decoquito in aquæ libris IV. ad lib. 3. & percolato: tum admiſceto mellis roſar. & ſyrup. roſ. exſiccatarum utriuſque unc. 3. aluminis uſti, calchanti uſti utriuſque drach. ſ. Hoc reme-

Vlcera ſordida luis venereæ.

remedium egregiè ſiccando extergit, atque ad ſanitatem ulcera perducit.

Vlcera antiqua.

Capitis tineam, brachiorum, crurum, aliarumque partium, ulcera quantumlibet vetera, putrida, & in gangrænam vergentia ad cicatricem perducentur, ſi vino albo aut lotio prius abluta, & madido linteo abſterſa, unico folio viridi vel duobus contuſis, una cum ſucco ſuo (quo & ſeorſim uti licebit) perfundantur, ac ſindone colligentur, diebus aliquot continuata hac medendi ratione ad perfectam uſque mali curationem. Si folia viridia deerunt, aſpergantur reſiccatorum pulvere, prius tamen ex conſilio Medici purgato ægro, & ſi res poſtulabit vena ſecta, victuſque certa ratione habita. Neminem vero turbet ſi viderit ulcus ipſũ paulatim amplius evadere: ſic enim abſumetur quidquid eſt vitioſę carnis: laudabilis vero ſuccreſcet, citra Chirurgi, vel alterius ullius medicamenti opem.

Nobilis quidam, pater unius è Legati Nicotii pediſſequis, audita hu-

hujus Herbæ fama Vlyssiponam venit. Depascebat ei vero crus alterum inveteratum ulcus totum jam biennium. Is cum Herbam præscripta ab ipso Legato sibi ratione per dies decem aut duodecim adhibuisset, dextro AEsculapio sanatus domum rediit.

Ad lentiginem pravam.

Iuveni cuidam malarum alteram depascebat ulcus fœdum ac difficile, quod & ipsam nasi cartilaginem jam invaserat. Itaque primus Herbæ hujus periculum fecit inscio Legato. Spissamentis vero succoque ulceri admotis, incredibile levamen sensit atque adiumentum. Quod ubi per asseclam suum quendam ulcerosi affinem rescivit Legatus, juvenem ad se vocavit, atque servata per octiduum eadem medendi ratione, ipsum Noli me tangere stirpitus delevit. Interim vero dum medicinam facit, identidem ægrum ad Regis Portugalliæ medicum primarium amandabat, ut is medendi ordinem exploraret: qui octiduo post à Legato accersitus, & ulcerosi faciem cõtemplatus, Noli me tangere

extinctum, ac prorsus emortuum palam asseveravit: quod & res ipsa clarius docuit, juvene nullas penitus mali reliquias postea sentiente.

Mulier quędam horrendum in facie lichenem (larvatam dixisses) intra octiduum Nicotianę beneficio persanata domum rediit multorum in conspectu immensis Legato actis gratiis.

Cui alienum non sit, annectere exemplum insigne, cujus & Monardes meminit libro de medicamentis simpl, quæ ex novo Orbe adferuntur. Matrona, inquit, quæ curam gerebat filiæ cujusdam Equitis Hispalensis, non immemor eorum quæ sepius de Nicotiana multis audientibus prædicaveram, puellam suæ fidei ac custodiæ concreditam (cui caput veluti tinea quadam impetiginosa fœdum erat, cuique ego & alii non parvam curam frustra adhibueramus) Nicotiana à me petita curàre aggressa est: nec operam lusit. Nam cum scabiem Nicotianæ foliis asperè adeo perfricuisset, ut prę dolore aliquoties eodem die

puel-

puella animo linqueretur, postri-die, nihil ejus dolores aut clamores morata, eandem curationem repetiit, donec decidentibus paulatim squamis, puella sanata sit, quanquam dum adverteret squamas decidere, paulo mitius caput ejus fricuerit.

Ad Scrophulas.

Militum dux quidam filium suum, quem Strumis aut Scrophulis miserè afflictum in Gallias ablegare decreverat (quod id morbi genus solos Galliæ reges curare posse vulgo persuasum esset) Legato stitit, qui & in hoc Nicotianæ suæ vires periclitates, diebus post paucis juvenem scrophilis omnibus liberavit. Modus autem curandi hic est: Ex foliis Nicotianæ contusis succum cum spissamentis fasciolis lineis revinctum, novies aut decies applica.

Ad urticę ictus.

Nicotionæ succum aut spissamenta, aut folium viride ex fricatione madentem, si quis manibus, aut corporis loco ex urticæ contactu adu-

adusto, applicaverit, confestim læsionis dolorem amotum, ac prorsus sublatum sentiet.

Verruca.

Verrucis tollendis profuerit succum Nicotianè cum spissamentis applicare, facta primum scalpello quadam ad sanguinem apertione, vel unguento Nicotianæ solius locum affectum inungere, quod compertum esse scimus. Idem fortasse censendum fuerit de clavis, qui pedum articulis innascuntur.

Clavus.

Carbunculus pestilens.

Sic & pestilentissimo carbunculo cuivis, applicatus Peti succus remedio est actutum.

Ictus & morsus venenati.

Valet & ad ictus, punctiones & morsus venenatos, similiter usurpatus.

Rabidorum canum morsus.

Remedium quoque præstat rabidorum canum morsibus, si statim vel quadrante horę post inflictum vulnus adhibeatur.

Tela venenata.

Confert & Indis quos Carybes vocant, quibus est antidotum singulare ad venenata hostium tela. Etenim profecturi in militiam, geminas secum deferunt cervorum soleas: in altera quidem toxicum prę sentissimum,

Ad toxicum.

mum, quod ſimulatque cutem aperuerit, ut ſanguinem attingat, necem præſentiſſimam infert: in altera vero Peti hujus ſuccum, quo adhibito à mortis periculo immunes ſe experiuntur: ſi deſit viride, exſiccato vel in pulverem contuſo utuntur. Hujus rei omnium primi periculum fecerunt Indi Carybes in Savina provincia, ubi dato conflictu, cruenta ipſorum ſtrages edita fuit. Cum enim ſuo more vulnera venenata ſublimato curarent, hoc deficiente expreſſus è Peti foliis ſuccus adhibitus, confeſtim dolorem cum veneno ſuſtulit, eoſque penitus ſanitati reſtituit: cujus & in Hiſpaniis periculum factum eſt non ſemel.

Præterea folia aut ſuccus cum ſpiſſamentis omne læſionum genus brutis animalibus illatum curant, ac vermiculos putridorum ulcerum necant. Malum etiam ſerpens in equis inſtar ſublimati curant. Veterinaria

Tollit & Equorum tibiis innaſcentes poros ſive callos. Iumenta clitellaria à ſarcinis attrita, aut gravius læſa, etiam ſi vulnus aut vulnera Equorũ & jumentorum ex attritione lęſiones.

nera in cancrum vergant ſucco aut ſpiſſamentis Peti exhibitis, vel exſiccatę eiuſdem Herbæ pulvere, citra ullam alterius medicamenti opem ita perſanantur, ut haud opus ſit ab incepto itinere deſiſtere.

Antihelleborũ

Helleboro porro antidotum eſt Petum. Solent autem uti helleboro venatores Hiſpani, quod feris interimendis præſentiſſimum ſit toxicum. Cujus rei in utilitatem exploraturus Rex Catholicus, juſſit caniculam quandam à venatoribus in gutture lædi: in vulnus vero helleborum immitti: paulò poſt & Nibotianæ ſuccum cum ſpiſſamentis, apteque omnia revinciri, atqui non ſine vehementi omnium admiratione canis incolumis permanſit.

Experimentũ de cane infecto veneno.

Experimentũ ad venena

Non abſimile accidit ſuperiori hyeme Antverpiæ, ubi Matronę cujuſdam feli, quod eſſet feracior, bolum toxico mixtum quidam propinavit. Cum autem ſtare jam loco neſciret, ſurſum, deorſumque curſitaret, hauſtumque venenum evomere fruſtra conaretur, animadvertens Matrona, modum invenit quo aper-

aperto ipſi rictu globulum è ſucco Nicotianæ folio butyro compactum ingereret, à quo paulo poſt exhibitum toxicum evomuit, ac ſervata eſt.

Hactenus de Peto maſculo. Fœminæ autem uſus & facultates pene eædem ſunt quæ maſculi: adeoque deficiente mare fœmina utimur, juxta præſciptum à nobis ſupra medendi ordinem. Nicotianæ fœminæ uſus.

Hoc tamen advertendum, quod Peti fœminę folia in clyſterum decoctionibus adhibita, mire proſunt ad dyſenteriam, balſamumque ipſius nulli pharmaco cedit, in cancri curatione: uberum præcipue. Ad uberum ex cancro curationem

Tertium Peti genus, quod alii Hyoſcyamum nigrum, alii luteum inſcribunt, qualitatibus & natura eſt Nicotianæ contrarium: ideoque malè faciunt, qui eo perperam pro vero utuntur. Poterit tamen ipſius uſus eſſa in reprimendis fluxionibus calidioribus, atq; in apoſtematibus calidis ex parte reſolvendis: tū & in cancro fervorē atræ bilis compeſcere poteſt. Ioan. de Vigo cap. de Hernia Tertiū Peti genus.

nia utitur Hyoſcyamo ad reſolvendum.

Mirum eſt, inquit Monardes lib. 3. de medicam. ſimplicibus quæ ex novo Orbe adferuntur, quam inſignes & variæ Tabaci, aut Nicotianæ vel Peti facultates, ſingulis adhuc diebus detegantur: nam pręter recenſitas, totidem inquit adhuc proferre poſſem, quas poſtea & referentibus aliis intellexi, & ipſe obſervavi.

Succi Peti vires.

Succus Peti per expreſſionem ex foliis recentibus, ad unciarum duarum pondus epotus, vehementer ſupra & infra aquam atque pituitam purgat, ideoque Hydropicis morboque caduco affectis utiliter adminiſtratur.

Aqua ſtillatitia.

Aqua etiam ex conciſis Nicotianę foliis per alembicum vitreum diſtillatur, quæ poſtea ad Solem rectificatur. Hęc certe præſtantia ſui cum ipſo Herbæ ſucco contendit, potiſsimum ad vulnera, tumores, perniones, & digitis ſponte delapſos ungues loco affecto infuſa, aut ſubinde panno linteove excepta atque ad-

admota. Collige, inquit, Leo Suavius folia mense Iulio, contunde atque distilla in vase duplici vitreis organis, mox insola & conserva per annum. Hæc eadem aqua ad quantitatem unius vel sesqui unciæ pro virium robore jejuno stomacho per os sumpta, confert ad asthma tussimque inveteratam.

Oleum vero per infusionem, ut vocant, hoc modo comparatur. R. Folia in particulas lacerata aut dissecta: bulliant in oleo olivarum, quod tum coletur, & exprimatur rejectis foliis: tum recentia folia infundantur, & in phiala Soli exponantur, vel coquantur ad succi consumptionem. Scabiei vulneribus & ulceribus confert, dolorem capitis aufert, cutisque tollit fœditatem. Oleum per infusionẽ.

Poterit etiam elici oleum ex seminibus Nicotianæ, quod ad venena & morsus viperæ in modica quantitate epotum mirificè proderit. Oleum ex seminibus.

Distillatur etiam oleum per descensum, ut loquuntur Chymici, in retorta vitrea. Oleum stillatitium.

Sal

Sal artificio chymico è Nicotiana comparatur. Sunt autem ambo, tum oleum (per deſcenſum diſtillatum) tum ſal, ad morbos profligandos præſtantiora, quam folia ipſa, vel ſuccus, vel pulvis, aqua ve ſtillatitia. Quod nimirum ipſius eſſentię tenuiſſimæ ac præſtantiſſimæ ſint potiores è terreſtri materia ſecretæ, proximum atque immediatum ipſarum facultatum ſubjectum atque ſedes. Nemo vero eſſentiæ nomen aut deſpiciat, aut contumeliosè irrideat, ipſi quoque Galeno uſurpatum, & appoſitè rem explicans. Neque enim aliter intelligo, cum Herbas quaſdam eſſe dicit eſſentiæ craſſę tenuioris, igneæ, &c.

Salis ex Nicotiana pręparandi ratio.

Salis ex Nicotiana præparandi modum ſic docet Iac. Gohorius Pariſien.

Primus modus.

Calcina Nicotianam, calcem diſſolve, transfunde filtra, evapora: erit ſal in uſu cauſtico innoxius, minuſque ad maligna ulcera diſſolvenda corroſinus. Itaque omnium vegetabilium communis extrahendi ſalis ratio hæc eſt. Herbam exure in fo-

foco ſcopis diligenter mundato. Alii prius inſolant, alii in umbra ſiccant. Exuratur autem donec in quodam veluti pane cohæreat: aut ſi ultra progrediaris ad incinerationem, plus Salis habueris. Poſtea in fictili plumbato aqua puriſſima cineri affuſa ad ignem horis aliquot effervescat: transfundatur in vas aliud, ubi fæces ſubſidat. tum coletur panno lineo: colaturam redde igni lento paucorum carbonum, quo exhalet aqua, & Sal in fundo ſubſidat.

Alter modus eſt ſubtilior. Herbam exſiccatam in fictili recluſo exure longo & valido igne in cinerem albiſſimum, qui color eſt perfectæ calcinationis index. Tum effervescat in aqua pluvia vel ſtillatitia, in vaſe vitreo, in cineribus cribratis. Effervescat vero ad conſumptionem quartæ partis aquæ: Deinde ſubſidat aliquandiu. Effundatur in aliud vitrum, & immiſſis filtri linguis novis & recentibus puriſſimis percolabitur aqua pura & ſalſa in ſubjectum receptaculum. Quod filtrum tranſierit evapora igne ſuavi in vaſe vi-

Alter modus.

vitreo, & sal restabit in fundo clarus & sincerus.

Tertius modus. Tertius modus est exquisitissimus: Collige Herbam, tere viridem, distilla aquam per alembicum. Fœces igne moderato calcina in occluso vase, quousque in cinerem vertatur: sitque ignis cautio, ne materia propriam & radicalem humiditatem amittat, quæ non posset nisi vitrificatoriam dare fusionem. Redde aquam suæ terræ, quam vorabit sitibunda. Digeratur in fimo vel balneo dies aliquot, effunde, ut supra, ne fœcibus turbetur: deinde filtra: postremo quod filtratum est evapora. Hi sunt varii modi conficiendi Salis artificiosi, non ex Nicotiana tantum, sed ex omnibus etiam vegetabilibus quæ sub ignem cadunt, quorum usus esse potest mirificus in delicatioribus curandis, quique ab omni medicamento abhorrent: eo sale in jure carnium, aut in vase salino ad condiendas epulas immisso.

Aqua composita. Huc referri potest quod celebris nostræ ætatis Medicus ac Philosophus, Leonardus Fioravantus in Phy-

Physicis observationibus scriptum reliquit. Sumsi, inquit, cum radice & semine Nicotianam, omnia in mortario tundenda curavi: folia pendebant uncias l i v. condidi putrificanda in fimo equino diebus 30. atque ne putrescerent salis nonnihil adjeci, cum aquæ vitæ unciis vi. Tum distillari jussi in Balneo Mariæ ad omnis humiditatis extractionem: utque melius servari posset, addidi tantum olei sulfuris, ut am sapor accesceret. Hac vero compositione variis in rebus usus sum. ebricitantes, quocunque tandem bris genere, hausta cochlearis menra valetudinem recuperabant. ulnerati aut aliter læsi, si bibent, vel sua vulnera his inungent, non sine multorum admiraone curabantur.

Conficiuntur præterea unguenta Nicotiana variè: tametsi Herba se sumpta longe sit efficacior. Vnguentum ex Nicotiana.

Recip. Foliorum Nicotianæ pulrimorum, maximorum, viridion, ac resina præ cæteris abundanm, ab omni spurcitia & pulvere

diligenter expurgatorum, nequaquam externa pluvia aut rore humidorum aut madidorum lib. 1. Pistillo ligneo in mortario marmoreo aut ligneo contundantur. Huic axungiæ dulcis pręparatè, hoc est ab omnibus suis membranis expurgatę & liquefactæ in vase æneo lib. ſ. Cui adjicies spissamenta & succum ipsius Nicotianæ contusæ. Coquantur & bulliant simul sub tripode in cacabo æneo parvo & lento igne, prunis nimirum tripodi subditis, aut in balneo Mariæ, donec succi aquositatem evanuisse ac defluxisse conspicias, ac reliquum unguenti consistentiam induisse. Aut

Aliud. Poterit fieri unguentum ex multiplici infusione foliorum Nicotianę in oleo rosaceo, ter, quaterve renovando folia in balneo Mariæ, addendo expressioni tantundem succi ejusdem Herbæ & cerę quod satis fuerit: & fiat unguentum ſ. artem. Vel sic.

Aliud Recip. succi Nicotianæ lib. 1. olei commnis, cerę novæ, resinæ pini ana uncias 2. Olei Hyperico-

nis

nis unciam 1. Bulliant lento igne per tres horas. Adde colaturæ terebinthinæ uncias 2. Bulliant ad consistentiam unguenti. Valet ad ulcera vetera luis venereæ, ad cancrum, scrophulas, ulcera ceu maculas ex igne per hyemen contractas, perniones, fissuras etiam manuum. Præcipue, si locum affectum prius virenti Herba frices, & aquæ salsæ calidæ imponas, ac deinde dicto unguento perungas.

Recip. Picis resinæ, cerę novæ, terebinthinæ ana uncias 3. liquescant ac bulliant simul in ænea patella subjectis prunis, liquatis ac fervefactis omnibus adde succi & spissamentorum Nicotiane lib. 1. Bulliant omnia simul per quinque aut sex horas lento igne in tripode aut vase duplici: id est cacabo bullientis aquæ pleno: moveantur assiduè, donec aquositas omnis evanuerit: reliquum vero condensatum sit ad unguenti formam. Tum exprimantur per linteum crassum aut cannabinum, iterumque rejiciantur Aliud

in

in patellam adjecta ſemilibra terebinthinæ Venetæ, ita tamen ne bulliant, ſed ſedulò moveantur. Tum refrigeſcant & reſerventur in uſus.

Aliud. Aut Recip. foliorum Nicotianę contuſorum lib. 1. ceræ flaveæ, terebinthinę, olei olivarum, picis, reſinæ albæ ana unc. 3. Bulliant ſimul in teſta nova horis duabus ad conſiſtentiam unguenti, deinde modica quantitate in uſum applicetur in aluta aut linteo ſubtili.

Sunt qui in deſcriptione utriuſque unguenti contuſæ Nicotianæ ſpiſſamenta non addunt, ſed tantummodo percolant, ac per craſſum linteum exprimat, ſervato duntaxat ſucco, quod non probatur. Eſt autem unguentum primum multò efficacius ad vulnera, cancroſa ulcera, lichenes, impetigines, faciei tubercula, quod majorem multò abſtergendi reſolvendique vim habeat, quod eſt Nicotianæ proprium, ſi non alia obſtent illi adjuncta commixtaque medicamenta. Poſterius vero præſtantius eſt ad conſolidandum vul-

vulnera, & reparandam carnem, ad resolvenda apostemata, mitigandosque dolores, & id genus alia. Otiosum autem Iacobo Gohorio videtur & supervacaneum ceram novam, resinam, oleum commune, terebinthinam addere, cum ex istis unicum sufficiat pro ratione viscositatis Nicotianæ. Tanta enim simplicium congestio, quot in istud unguentum recipiuntur, solis vulneribus unguenti usum restringit, quod alioqui ulceribus cancrosis, impetigini, apostematis, lichenibus &c. convenire possit. Præter rationem est quoque Nicotianæ succum ita omnem absumere, ut præter spissamenta cum peregrinis liquoribus nihil supersit.

Non absurdum est unguentum ad vulnera sclopetaria, cæteraque omnia accommodatum, cujus præparationem idoneam docet Iosephus Quercetanus. Recip. succi Peti lib. j. Terebinthinæ unc. v. olei Hypericonis compositi unc. VIII. Vini albi generosissimi li. ß. Digerantur per octo dies, postea decoquantur *Aliud ad vulnera sclopetaria.*

ad vini consumptionem: tum adde colophoniæ ceræ ana uncias 3. Mumiæ, Carabes, ana drach. 2. liquefiant rursus ad ignem, & fiat unguentum ut artis est.

Aliud ad scabiem.

Iacobus VVeckerus unguentum ad scabiem curandam fieri docet hoc modo. Recip. Nicotianæ succi unciam 1. & s. sulfuris triti, salis, ana unciam 1. olei Nicotianę, malorum aureorum unciam 1. Olei ceræ, Sevi hircini ana unc. 2. fiat unguentum ex arte.

Aliud ad vulnera.

Aliud ad vulnera à quodam Gallo se accepisse Iacobus VVeckerus tradit. Recip. Succi Nicotianæ lib. 1. Ceræ novæ, Picis resinæ, Olei communis ana uncias 2. Coquantur omnia simul usque ad succi consumtionem, deinde adde terebinthinę Venetę uncias 3. Cola per linteum & serva in pyxide. Vulnera & ulcera indubiè curat.

His omnibus accedit quod ex Nicotiana componitur fragrantissimum balsamum. hoc modo.

Balsamũ ex Nicotiana.

Recip. folia Nicotianę q. voles: in mortario contusis exprimas succum

cum rejectis ſpiſſamentis :expreſſum ſuccum cum æqua olei olivarum portione in phiala ultra Soli expone quam diutiſſime, quæ diligenter obturata ſit cera gummata, & membrana ſolida colligata : aut ſi mavis ſiſte illam in lebete bullientis aquæ pleno, ſive in balneo Mariæ, vel reconde in ventre ſeu fimo equino, ibidemque relinque totos quadraginta dies, renovato interdum fimo. Exactis diebus xl. reperies in phiala balſamum non minoris energię ad omnia, quam ipſius Nicotianæ quinta eſſentia.

Quin & aliud Balſami genus ad ſclopetorum vulnera à Quercetano deſcribitur in hunc modum. Recip. viſci Herbarum Peti & Conſolidæ ana unc. 4. Olei terebinth. lib. 1. florum Hyperici & Verbaſci, ana M. 2. Pomorum Vlmi unc. 3. Acinorum populi arboris unc. 4. Spiritus vini lib. 1. ſ. Digerantur in fimo equino, vel relinquantur in calido hypocauſto in vaſe vitreo optimè clauſo per menſem integrum, deinde exprimantur & colentur. Adde thuris, Aliud ad ſclopetorum vulnera.

maſtiches, myrrhæ ana unc. 2. Sanguinis draconis unc. ſ. mumiæ unc. vi. terebinthinæ lib. ſ. benioini unc. 1. Circulentur ſimul in pellicano octo dierum ſpacio, deinde moderato igne diſtilletur vini ſpiritus, & remanebit in fundo, precioſum balſamum.

FINIS.

JOHANNIS NEANDRI BREMANI.

TABACOLOGIA,

hoc est,

TABACI

seu


NICOTIANÆ DESCRIPTIO.

vel

Ejus præparatio & usus.



VLTRAIECTI,
Pro DAVIDE ab HOOGENHVYSEN
Anno cIↃ IↃ c XLIV.



IN
TABACOLOGIAM
C. V. D. I. NEANDRI.

NVNC faveant, fumum modò qui risere Tabaci,
Et queis res nihili fistula visa fuit:
Hæc etenim, fumi quæ morbos discutit usu,
Autoris famam tollet in astra sui.
De solidis alii fumosa volumina condant;
De fumo solidum condidit Autor opus.

ALITER.

VIX uni cunctis poterat medicarier herbis
Hactenus ęgroto tota cohors medica:
Nunc una cunctis, poterit medicarier herba,
Protinus ægrotis qui Tua scripta leget.
Macte igitur magni conatus, docte NEANDER,
Solus, quod multi non potuere, facis.

IVSTVS RAVELENGIS, M.

Tabaci aliquot differentię, quibus videlicet apud Mercatores innotescit.

Varinium : hoc optimæ notæ.
Tecaporinum.
Brasilianum.
Ornochesium.
Marcapanum.
Craxium.
Commenarinum.
Gotegonasium.
Berneodes.
AmaZonium.
Manochesium.
Comenagoticum.
Virginiense.
Ex Insul. S. Margaritæ.
Ex Insul. Philippinis.
Ex Insul. S. Lucæ.
Ex Insul. S. Trinitatis.
Ex Insul. S Dominici.

Sunt & apud Belgas & Anglos ab ipsa forma duæ desumtæ differentiæ: nam quod prolixiori forma, & compresius conglomeratum est *Prick-Taback* vocare solent: quod autem rotundum instar capitis *Baal-Taback.*

PROOEMIVM

A*Xioma Aristotelis quod Analyt. post. tr.* 1. *c.* Omnis doctrina & omnis disciplina dianoëtica fit ex antecedente cognitione *scriptum reliquit, Nos, si non consentiente, saltem non repugnante Philosopho, ad omnem quæ a ratione suscipitur de re aliqua institutionem, si concinna ac methodica esse debeat, pertinere arbitramur. Vt igitur & hic examussim & perfecte de herba Tabaca agere induximus animum; sic hoc loco merito curæ cordique erit Nobis, ut justo ac decenti modo hoc adoriamur: quod faciemus, si ligitima methodo ab omnibus ferme Autoribus in quavis proposita materia observata id agamus. Primum ergo breviter de Panchresti hujus Etymologia, seu Nominum notatione dicemus. Secundo Differentias ejus adducemus. Tertio Temperamentum enarrabimus. Quarto de Tempore sationis ejus & collectionis agemus. Quinto Locum in quo ma-*

maxime provenit examinabimus. Sexto de foliorum Præparatione, nullis ferme, aut saltem paucis cognita, breviter transigemus. Septimo tandem ac ultimo singulares ejus vires & adfectuum exploratorum tecmarsin introspiciemus, ac referemus: omniumque ex Tabaco Vnguentorum, Emplastrorum, Balsamorum, Linimentorum, Ceratorum, Apocorum, &c. encheiresin in gratiam plurium Pharmaceutices studiosorum adponemus, ut quilibet ipsi sibi ea præparare, & quum usus exigit, de narthecio tanquam promere poßit.

NOMI-

NOMINVM RATIO.

QVandoquidem Galenus 1. de Meth. c. 2. & 3. & lib. 1. ad Thraſybul. *Sine nominis explicatione rem velle cognoſcere, eſſe tempus perdere*, pronunciat: Noſtri quoque officii erit, ut de Panaceæ hujus nomenclaturis, & earundem primitivis originibus primitus agamus; & qui primi ejus Nobis uſum monſtrarint, penſiculatius aliquodammodo perpendamus.

TABACVM nomen traxit ab ejus regionis nomine quæ Hiſpaniæ Novæ eſt Provincia in Novi Orbis Occidentali India, quadraginta ferme quatuor milliaribus ſupra Mexicum Hiſpaniolæ metropolim. In hac igitur provincia Tabaco (Hiſpanis poſtea B. Virginis victorioſæ dicta, quod anno M. D. XIX. Ferdinandus Corteſius Hiſpaniȩ Novæ fundator magnam iſtic loci victoriam reportavit) Iucatanenſi imperio ſubjecta, reperta primum nobilis

lis hęc Panacæa exſtitit, indeque poſtmodum nomen obtinuit. Peruanis *Petum*, ut & Antarcticis ferme omnibus, vel *Picielt* juxta Monar-
Lib hiſt. dis ſententiam, aut *Perebecenuc*, ut
XI.c.V vult Oviedus (quod tamen peculiare Tabaci nomen non eſt, ſed aliæ cuidam herbæ Indicæ tributum à ſcriptoribus à Tabaco noſtro diſcrepanti, ut videtur) appellatur.

Vulgari quoque etymo *Nicotiana* vel *Nicoſiana* dicitur à D. Iohanne Nicotio Nemauſenſi, Franciſci ſecundi Galliarum regis Conſiliario ac libellorum poſtmodum & poſtulationum ſupplicum in Regia magiſtro, qui eam primum Galliæ (ut præclarus ille miles auratus & Thalaſſiarcha Franciſcus Drake Angliæ circa annũ M.D.LXXXVI.) innoteſcere fecit; cujus nomine ab omnibus ad quos hujus nobiliſſimę Hygeę fama pervenit, grata memoria celebrari digniſſimo jure meretur. Hic igitur D. Nicotius, quum anno M. D. LX. regis ſui nomine Legati officio in Luſitania fungaretur, accidit die quodam ut carcerem,

vel

vel potius ἐργαστήριον Vlyxiponenſe (ubi tunc temporis. Regia erat Luſitanica) perluſtraret : ibi nobilis quidam Belga Archivorum tunc regiorum cuſtodiæ præfectus, plantam hanc illi veluti exoticam atque nuper ex Florida Inſula allatam dono obfert. accipit Legatus lubenti animo plantam, & raram quaſi ac tranſmarinam anteaque ſibi nuſquam viſam in horto ſuo ſummo ſtudio curat educari; ut cujus virtutum ad ulcera & vulnera felici auſpicio atque ſucceſſu periculum jam factum aliquoties intellexerat. pervaſit itaque hujus herbę exiſtimatio nomenque per totam Luſitaniam, decantatęque ſunt illius laudes ab Hiſpanis & Luſitanis, *Herba* que *Legati* dici cœpit. Haut longe poſt in Galliam redux ſemen ejus Catharinæ de Medicis Galliarum reginæ dono obtulit. Illa intelligens, malignis ulceribus putidiſque vulneribus apprime hanc plantam utilem, imo Panacæam quaſi novam admirans, ſuum illi nomen eſt impertita; unde poſtea

Her-

Pareus præfat. in Chirurg

Herbæ reginæ, *Catharinariæ*, ac *Mediceæ* fama per totam Galliam increbuit. Virginię incolis *Vppo vvoc* nuncupatur. aliis *Herba magni Prioris*, quod is è Galliis aliquando in Lusitaniam trajectus, & Vlyssiponæ à D. Nicotio hospitio exceptus plantas ejusmodi non paucas dono acceperit, ac in hortum suum translatas succressere ibi atque adolescere elaborarit. Plęrisque Hispaniolę incolis *Cozobba*, dicitur. Cęsalpinus *Tornabonam* appellat, quod Alphonso Tornabonio Antistiti Burgensi, Nepotis ejus Nicolai Tornabonii etiam Antistitis, apud Galliarum vero regem tunc temporis Legati, opera in Italiam primum fuerit trãsmissa. Schvvenckfeldio, ut & aliis nobilium suarum virtutum adsertoribus *Herba sancta* nuncupatur. *Vulneraria planta Indica* Camerario: *Piperina* aliis; sed qua ratione non video. *Buglossum Antarcticum* Lugdunensibus; & Βλεννοχοῖς Renealmo. Dodonæus clarissimus botanographus *Hyosciami Peruviani* nomen ei tribuit sed falso (ut suo loco dicetur) hoc

Vide Petr. Martyr, de rebus Oceanicis & novo Orbe dec. 1. lib 9.

hoc enim Cordus non huic Tabaco ſed Strammoniæ dedit. R. Cardinalis de S. Cruce quum Romam. Eccleſ. Nuncius Apoſtolicus miſſus in Luſitaniam eſſet, Romam inde primus adportavit; unde & ibidem *Herba S. Crucis* dicta fuit. Sanæ quoque ſanctæ nomen apud plures meruit, non ſine catàlogo multarum ſuarum laudum ab evidentibus experimentis petitarum. Belgis & Anglis *Taback*: Germanis *Heylig Wundkraut, IndianiſchVVundtkraut, Indianiſche Beinvvelle.* Thevetus Coſmographus Gallus (qui expeditioni illi quā anno M.D.LV. Nicolaus Durandus Villagagnonus in Braſiliam inſtituerat interfuit) libro cui Franciȩ Antarcticæ nomē fecit, *Angoulmoiſine* hanc herbam vocat; ſeq; ejus inventorem & primum qui ſemē Galliæ intulerit gloriatur. an mētiatur neſcimus; Nobis ut videtur anile quiddā hoc ſapit. Fabius quoq; Colūna Tabaci Arabū meminit diverſi à noſtro, quod plane Nobis nō notū, legēda quæ doctiſs. Columna de eo cōmētatur in ſua minus cogni-

ta-

tarum ſtirpium ἐὐκρασι pag. 142. In Arabum ſcriptis incerta multa; pauca enim ex ſe habet iſta natio, & plerumque ex male intellectis Græcorum ſcriptis ſua non adeo feliciter medici Arabes concinnarunt. Cluentiſſimus etiam botanicus D. Guilandinus in conjectaneis ſuis plantarum ſynonymicis *Onoſmyon Æginetæ* hanc plantam nominat.

DIFFERENTIAE.

TRiplex à Nobis obſervatum fuit Tabacum. Majus latifolium. Majus anguſtifolium; & Tabacum minus.

SPECIES PRIMA.

TAbacum latifolium majus radices fundit è craſſiore baſi ſurculoſas, lignoſas & multis tenuibus fibrarum proceſsibus firmatas, albicantes, intus croceas & amaras. Caulem baculi craſsitie, qui ad tricubitalem interdum proceritatem attollitur, viridem, tenui tomento pu-

pubeſcentem, unctuoſum, maxime dum adolevit medulla candida farctum, ramoſum; quem lata ſinuum baſi folia obſepiunt Symphito majori grandiora è medio ambitu latiore & quaſi gibboſa extenuitate in mucronatam figuram ſenſim deſinentia, diluto virore ſplendentia, odore injucundo, ſucculenta, & glutinoſo humore nonnihil quaſi oblita, adeò ut minuta animalcula inſidentia cohibeat. acria ſunt guſtu cum lentore qnodam. In frequentium ramorum brachiis flores è dentatis foliaceis calicibus ſingulatim pediculo firmo exceptis prodeunt ab anguſta baſi ſurſum verſus in limbum quaſi pentagonum ſenſim dilatati tubæ effigie, in albedine dilute perpuraſcenti rubore, (qui incarnatus dicitur,) ſubfuſi; quorum meditullia quina ſtamina ſtylum pallide virentem, prominentem cingentia occupant; quibus marcidis ſequuntur calicum conceptacula oblonga in mucronatum nonnihil apicem deſinentia, minutiſsimo pullo ſeu ex rufo nigricante,

te, prius autem viridi, rotundo, ſemine referta. Vulgus herbariſtarum Tabacum maſculum hanc primam ſpeciem appellat. Sunt qui πήκτον eſſe ſuſpicentur à Dioſcoride memoratum: ſed quomodo iſta verba ad Tabacum noſtrum poſſint transferri ignoramus. Si conjecturę eſſet indulgendum pro Conſolida majori πήκτον iſtud ſubponi poſſe videretur ex quadam effigiei ſimilitudine; ut & hoc clariſſimus doctiſſimuſque D: Bauhinus in ſuo ſynonymiis ornato Matthiolo adnotavit.

SPECIES SECVNDA.

TAbacum anguſtifolium majus radices habet lignoſas, multifidas, & innumeris fibris capillatas. Caules ſeſquipedales, ſtriatos, virides, ramoſos; quibus è pediculo adfiguntur folia Solano, quod Bellam donam vocant non abſimilia, latiora tamen & paulo viridiora, lanugi noſa, ſpiſſa, ſucculenta. Caulium & ramulorum faſtigia flores ornant purpurantes, calathiteretis ad baſin pau-

paulo anguſtioris ſpeciem prę ſe ferentes, & in viridi colore palleſcentes. Pericarpia floribus ſuccedunt rotundis oblongiora paulum, in ſummo foſſulam habentia oblongam, in cujus medietate apiculus ſeſe exſerit craſſus, ſed admodum brevis, ruſique coloris. Ab utraque foſſula extremâ ducitur ſulcus ad baſin uſque quæ croceo circulo eſt conſpicua. ſemen continetur exiguum, ſubflavum.

Hanc ſpeciem non rarò ex Tabaci maris ſemine provenire AEgidius Everhardus autor eſt. ſi enim, inquit, Tabaci maſculi dum ſemine turget, gramina quędam in terram excidere contigerit, eandem in qua Petum jam ante excreverit, haut dubie ibidem anno proximo proveniet hoc Tabacum anguſtifolium (Nicotiana fœmina alias dicta) imo vero ſi terræ non ſatis calidæ ſed ſteriliori ac arenoſæ Tabaci maſculi vel latifolii ſemen mandaveris, cujus loco fœminam producet, tanta quidem luxurie, ut ægre tandem hinc ſit extirpāda, ſed ſponte quot-

annis renascitura. Μιχώτη hæc species Renealmo dicitur, quod folia pediculo subvehantur, quem Græci μίχον vocant. Nicotiana minor Pen. Lobel. cui Tabacum minus; *Herba sancta* & *Sana sancta* minor. Pen. Lob. *Petite Nicotiane*, Gall. *Kleyne Taback*, Belgis. Germanis *Schmalblaterich Indianisch VVundtkraut.*

SPECIES TERTIA.

TErtia species, quę Tabacum minus dicitur sesquipedalis est & præcedente multo humilior. Radix alba, subtus demissa, longitudine spithamæ, crassitie digiti, foliis lateralibus multũ obsidetur. Caulis rotundus, pinguis, tenuiter hirsutus, & pallide virens, in quo folia virentia, subrotunda pinguia, succosa, & parum pilosa, furioso Solano non absimilia, sed majora & mage candicantia. Flores in dentatis foliaceis calyculis luteo colore pallent, Tabaco majori multo minores, tubulosi, in quina obtusa bifida labra explicati, quibus deciduis subrotunda capi-

capitula remanent, tenuibus, Tabaci prioris æmulis, ſed majoribus, rotundis, livido palleſcentibus ſeminibus referta. Hyoſcyamus luteus hæc ſpecies Bauhino dicitur. Hyoſcyamus tertius Matthiolo. Lugdun. Hyoſcyamus niger. Hyoſcyamus luteus Dodonæo, Lonicero. Geſnero, Camerario. Hyoſcyamus Peruvianus Tabernæmontano. Priapæja Geſn. hort. Tornabonæ congener Cæſalpino. Nicotiana minor Hyoſcyami facie recentioribus, Tabacum minimum Lugdunenſibus. Germanis *VVundbilſam*, *gelb VVundtkraut*. Dubium Hyoſcyamum luteolum ſolanifolium Lobelius appellat. Nos vero cum doctiſſimo botanographo Dalechampio ad genera Hyoſcyami hanc herbam minime referendam cenſemus, quum utriuſque facultates pugnent diametro: hujus enim ſemen gustu acie eſt, ut & folia quæ fervorem ori diu inhærentem inferunt commanſa, qui non niſi longo tempore exſtingui poſſit, quod inſignis aliditatis argumentum eſt. Quare

perperam etiam à clarissimo Dononeo & reliquis Hyoscyami Peruviani nomen ei tribuitur, nec ad ejus genera referri potest, quod folia insignem quandam, ut diximus, acrimoniam sapiant, quod calidæ naturæ non frigidæ, qualis est Hyoscyami, indicium notat. Nobilissimus Clusius Petum quartum vocat hanc speciem.

TEMPERAMENTVM.

TAbaci masculi facultates (ea enim de specie potissimum nobis in hacce Tabacologia sermo erit) quod attinet, de eis magna apud doctos est altercatio. Monardes calidum & siccum numero secundo, cęteris moderatum adfirmat, cum quo & Dalechampius censet. Cæsalpinus calidum in primo, siccum in tertio ordine locat. Edoardus Donc, scriptor Anglicanus, calidum & siccum in tertio ferme gradu statuit. Alii negant calidum, sed intense frigidum ponunt, quod fumus mentem feriat, & ecstasin quasi inducat; ideo

ideo ad HyoſcYami ſpecies referunt, ut monuimus ante Bauhinus idem annuit, motus itidem propter ſtupefaciendi facultatem & ſimilitudinem formę quam habet cum Hyoſcyamo. Mercatus calidiſſimum dicit. Iacobus Gohorius ſententiam ſuam proferre non audet, ſed in alium locum reiicit. Lobelius ordine ſecundo, ſed intenſo calidum cenſet, & reſpondet Dodonæo quod guſtu mordeat & in ore ferveat; quam tamen ſententiam Dodonæus poſtea mutavit. Nos cum Renealmo vireſcentia folia ſecundo exceſſu; (quam illis temperiem ut & radici & cauli Sol calore ſuo conciliat, ut Luna calorem) ſiccata vero in fine tertii calida & ſicca ponimus. Certe Tabacum acrimoniam quandam ſapit & ſitiferum eſt, mentemque turbat & καρηβαρίαν inducit, quod non poſſet fieri, ni vapor quidam calidus opplendo caput feriret. Quare ludunt qui frigidum hoc ponunt, omnia enim caloris ſymbola gerit.

TEMPUS.

IN Hiſpaniola Inſula, ut & in aliis regionibus calidioribus circa autumnum ſeritur, ubi omni ferme anni tempeſtate frondes, flores, ac germina, producit. Noſtrum quoque ſolum non adſpernatur, ſi modo cura juvetur adſidua. Ante veris teporum apud nos, hoc eſt, circa Idus aut nonas Aprilis, pro ratione caloris, terræ non concreditur, algioſum enim eſt, & ad primam autumnitatem vel frigoris inclementiam flacceſcit; quare ab algoribus muniendum probe eſt. Nobiliſſimus Cluſius Auguſto aut Septembri menſe ſerendum cenſet, quod ſemen exiguum ſub terra diutiſſime lateat antequam in germina abeat; & Martio aut vere telluri creditum menſe demum Auguſto florem induat, ſemenque ſubinde proferat. Nos vero experientia docuit, Tabaci ſemen Aprili menſe apud nos terræ concreditum felicius multo ac citius fuiſſe enatum, fertilioreſque ac lon-

longiores caules, multoque majora ac pinguiora produxiſſe folia, quam quod Septembri menſe terræ mandatum erat. Colligitur ipſa herba Sole exiſtente in 18. 19. & 20. ſigno Leonis. Semel ſatum ubi ad maturitatem ſemen pervenerit, ſe ipſum ſuæ ſpontis copioſe ſerit in multis horti campive locis ad quæ forte ventorum vi delatum fuerit. Seritur quum Luna creſcit, ſecatur quum minuitur. Semen Aquario & Marti eſt dicatum caliditatem præ ſe ferens non exiguam quam Marti fert acceptam. Hyeme vix adſervari poterit niſi in fictilibus, capſulis ligneis aut ſcirpiculis vimine textis, idque in penuariis, hypogæis, aut hydocauſtis, lociſve aliis calidioribus; ea ratione in tertium aut quartum annum illæſum conſervari poterit. Cæſalpinus caulibus etiam ſeri vult, cujus tamen periculum Baſilius Beſlerus Eiſtettenſis horti autor ſe feciſſe fruſtra teſtatur.

LOCVS.

AMat pingue ac lætum ſolum; aream planam, opacam, ſeduloque paſtinatam, glaream timet & argillam, nec ſabulone delectatur; unde non parvo conſtat, ſi interjecto anno quolibet lętamen bubulum ei adjungatur. Sunt qui tenuiſſimos cineres cribro cretos miſceant, ſed lente enaſcitur, ac tardus ejus eſt proventus. Aqua mire delectatur, ac proinde rigatione gaudet, apricioribus præſertim diebus quotiens cœleſtis negatur infuſio.

Areolæ in quibus ſementim facturus es ſint oblongæ, tres, circiter pedes latę, ut intermediis ſulcis via pateat ab utroque latere, ſupervacua folia ſurculoſque runcaturo amputaturove (quæ alioqui majorum foliorum vires in nutrimentum ſui allicerent.) Digito vel bacillo aliquo terram fode poſitis in foramen granis decem aut duodecim, quibus in imo & in ſummo fimi bubuli particula adponatur. Paucio-

ra

ra grana foramini ne injeceris, ob nimiam enim exilitatem sui suffocarentur, & plane ad internecionem redigerentur. Frigoris, ut monuimus est impatientissimum; ideoque maceriem luto aut lapide ab Septenptrione versus excitabis, ita ut ad meridiem pateat, Solique ostenta sit, quo facilius hyeme teporem aliquem concipiat; tum etiam muniminibus ex storeis stramineisve tegminibus congestis est operiendum.

PRAEPARATIO FOLIORVM.

POterit ergo primo seri patenti campo aut agro, & quum ad altitudinem coliculorum seu asparagorum brasicę excreverit, transferri, ac seorsim plantari areolis prædictis oblongis in latitudine tripedaneis, statuique eo ordine, ut singulæ plantulæ à sese invicem trium aut quatuor pedum intersticio distent, ne dum stirpes succreve int majora folia sese mutuo contactu lædant,
cu-

cujus attritu grande incurretur diſpendium.

Quum vero ea jam uſque ingranduerint, ut florum rudimenta prorepere incipiant, ſtatim, antequam ſeſe flores pandant, omnes cymas ſummitateſque abſcindes cum omnibus lateribus ſurculis minoribuſque foliolis quæ aliis internaſci ſolent. (Tabacum enim neutiquam florere aut in ſemen abire debet, ſi vires ejus conſervare integras percupias.) Adhæc in infimâ ſcapi ſeu caulis parte duo plerumque reperiuntur folia (*Baſcheros* Hiſpanis dicta) quæ ſaporis gratiam Tabaco adimunt, ſi commiſceantur reliquis. hæc igitur ſimul cum ſupervacuis amputabis, nullumque cum reliquis uſum habere patieris (ſaporis enim gravi ſunt & odoris non grati) cauli ſolummodo decem duodecimve plerumque folia grandia linques, poſtquam prædicta minora foliola cum ſurculis ſummis & rejectitiis infimis binis reciſa prorſus fuerint. Cumprimis caveto, ne Tabacum quod in hiſce regionibus germani-

cis,

cis, vel Anglia ,Galliave, divendi cupias , in florem iri permittas : vires enim omnes florendo deperirent.

Porro prædicta abſciſſa foliola minora cum ſurculis & florum rudimentis ſeu calyculis (rejectis plane infimis iſtis majoribus foliis,(baſcheros dictis) tanquam inutilibus immo nocuis) ſimul contundes, expreſſumque ſuccum in generoſo dulci novo muſteove vino Hiſpanico aut malvatico (addunt alii cereviſiam Gedanenſem) ebullire facies, eumque ſedulo deſpumabis, probeque deſpumato ſalis pluſculum addes, ita ut aquę marinæ ſalſedinem reſipiat plane ſuccus iſte : aniſi deinde & zingiberis minutiſſimum pulverem larga manu adſperges , iterumque horæ ſpacio effervere bullireque permittes. quieſcat hinc ut ſubſideat craſſamentum. tum demum quod liquidum remanſerit effunde.

Hunc ſuccum ſeu chylarium ita coctum (*Caldo* Hiſpanis) conſervabis in vaſe bene clauſo aut turato, ut nihil ab ejus virtutibus decedat, uſ-

que dum majora in caule quæ reliquisti folia (in his enim totius plantæ vires tanquam in domicilio hospitantur) ad justam maturitatem pervenerint: quam quum attigerint, quam proxime juxta caulem ea abscindes, & succum prædictum, seu *Caldo*, quem servasti ad ignem fervefacies, ita ut bullitioni proximus sit, (non tamen bulliat, bulliendo enim vis ejus in nihilum iret) & folia prædicta singulatim isti succo ita calenti intinges. Quod si molestum nimis sit singula folia privatim intingere, pannum laneum humi in area patenti aut horreo, aliove loco neutiquam ventoso aut aprico expandes: illique unam seriem foliorum sese quam arctissime contingentium impones: isti seriei aliam seriem foliorum idemtidem dispositorum prædicto succo etiam necdum imbutorum superindes, magnoque ad spergillo in manus sumpto, quod succo prædicto seu *Caldo* immerseris, omnia ista folia adspergendo madefacies; madefactisque prioribus duabus ter.

tertiam & tertiæ quartam ſeriem; ſicque deinceps quintam ſextamque foliorum novorum impones, ſingulas ſeries adſpergillo ſeu peniculo prædicto eodem ſervato ordine irrorans; ita ut tandem altitudo horum ſeriatim diſpoſitorum foliorum ſeſquipedis altitudinem ęquet. Hinc ita calentia adhuc recenterque adſperſa ſucco folia pannis aliis laneis integes, ut omnes foliorum ordines ſeu ſeries calorem ſervent priſtinum, ac quodammodo fermententur. Sin autem fervor iſte, ſeu fermentatio à tegumento pannorum laneorum obtineri non queat, poteris pannis iſtis fimum imponere equinum, ut hoc pacto calorem excites, quo illa folia fota in adſiduo ſtent fermento. Ne tamen nimis ferveant, inſpiciantur cottidie folia uſque dum colores illorum mutent. Quod ſi dicti fervoris vi jam aliquam induerint rubedinem, ruffedinemque præ ſe ferant, (quod percipi poterit, ſi folia luci oppoſita ſint) tempus eſt, ut folia detegan-

gantur, operimentaque removeantur; nimio enim fota nigredinem contraherent, quod aduſtionis corruptioniſque eſſet indicium. hoc autem ſummopere cavendum eſt ne contingat, utpote in quo cardo hujus rei verſatur maxime.

Sic foto & fermentato Tabaco prædicta folia craſſioribus filis ſunt transfigenda per dorſũ craſſioremve nervum ſingulorum foliorum acum adigendo, atque ita loco ventoſo quidem ſed minime aprico aut inſolato ſunt ſuſpendenda, fervore enim Solis vires eorum evaneſcerent omnes. Quod ſi vento ſiccata ſatis fuerint, faſciculatim conliganda ſunt funibus quam arctiſſime fieri poterit conſtringendo, ita ut ſinguli faſciculi taleri ſeu regalis Hiſpanici majoris circumferentiam in circuitu habeant; ante omnia ſatagendo, ut quam arctiſſime & ſtrictiſſime ſint conligati. Hoc modo præparata Tabaci folia vaſculis imponi, ac quam denſiſſime infarciri impingique intrudendo debent. Eſtque hæc præparatio & conſervatio

Taba-

Tabaci per hanc induſtriam ſingulares & exquiſitas vires habituri.

Nota. (Vino Hiſpanico aut malvatico) *Præparandi hic modus recentior eſt, & ab Hiſpanis inventus, in ſuum aut exterorum etiam uſum. Credibile enim eſt, indigenas barbaros antequam vinum tranſmarinum ad ipſos inferretur, vino palmeo aut de Coccos, aliove liquore (ne dicam lotio quod illis exprobratur) præparaſſe hoc* χυλύ-ϱιον, *ſeu Caldo: aniſi etiam uſus ab Hiſpanis.*

In adſiduo ſtent fermento) *nobis ſonat* Broyen. *Indicat autem calorem à fotu calido moderatum, fervori proximum, nondum tamen ad incendium devenientium. Talem adflant partibus pſylothra; aves ovis ſuis dum ex iis pullos excludunt. Talem & AEgyptii in furnis ſuis procurare ſolent, dum ova gallinacea maxima copia artificioſe excludant, ut notat Bellonius.*

Sunt qui vilipendant uſum Tabaci apud nos enati, docet tamen experientia, recentia folia noſtracia ſæpenumero curaſſe ulcera, vulnera, aliaſque adfectiones citius ac certius quam ſiccata ex

ta ex

ta ex Indiis allata. & credibile est, sicca illa exotica folia magnam sæpe partem suarum virium amisisse. supervenerunt tandem alii qui folia Nicotianæ nostratia siccata & præparata modo quem Indi usurpant, efficaciora heic adfirment quam Indica, quum hæc nostra qualiacunque cujusque naturæ conveniant magis, tum longe recentiora & electiora haberi poßint quam peregrina, quorum maxima pars est suspecta, ut quæ sophisticata sæpissime (verba sunt Agrippæ lib. de Vanit. scient. c. 84.) adulterata, rejectitia, vel in navi suffocata, vel immersa lacunæ, aut vetustate corrupta, vel non debito tempore & loco, (unde sæpe plurimum imminet periculi) collecta sunt. Vere idem dicit Autor. stultum eße ex India petere quæ domi habemus, propriam neque terram neque mare sufficere existimantes, patriisque rebus peregrina, frugalibus sumptuosa, ac facile acquisibilibus difficilia, & ob usque ipsis terræ finibus importata præferentes, &c. Hodie in Zelandia mercator quidam extat, qui annuatim circiter quinque terræ jugera

ra

ra juxta Veeram Mattiacorum magnis impensis consevit Nicotianæ semine, indeque prodeuntes plantas excoluit more Indorum. Folia siccavit, adornavitque eodem ritu, illaque passim vendit, quod stipem illi non minimam hactenus contulit. Iamque per decennium ferme eorum usus in hisce regionibus ita invaluit, ut pro eis Virginiense aut exoticum Tabacum non summopere desideratum fuerit.

V I R E S.

PErniciosissimo toxico & veneno quo Cannibales suas inficere sagittas suevere Tabacum resistere didicerunt Hispani. Contigit ut quidam Cannibales ad D. Iohannem de portu divite in suis cymbis navigarent, Indorum, atque etiam Hispanorum, si quos reperirent, suis telis conficiendorum caussa. Eo appellentes Indos & nonnullos Hispanos conficiunt, plerosque autem vul- Toxico adversatur Tab.

vulnerant. Hi ſublimato carentes (quod vulneribus inſpergere tali in caſu erant ſoliti) à quodam Indo edocti ſunt Tabaci ſucco expreſſo vulnera inlinire ſuperpoſito folio Tabaci trito. Compoſiti illico dolores, & ea ſymptomata quæ hujuſmodi venena ſubſequi ſolent: evicto tandem domitoque veneno curata vulnera.

Antihelleborum. Helleboro item adverſatur maxime; cujus rei periculum facturus rex Catholicus caniculam quandam à venatoribus in gutture lædi, vulneri helleborum inſpergi, ſuccum poſtea Tabaci cum ſpiſſamentis ſatis copioſe inſtillari juſſit. dictum, factum res tandem fidem fecit, ſubligato enim revinctoque vulnere incolumitati canicula non ſine omnium admiratione brevi eſt reſtituta.

Hiſtoria. Huic adjiciemus quod AEgidius Everhardus in ſua Panacæa refert. Accidit Antvverpiæ ut matronæ cujuſdam feli, quod eſſet furacior bolum toxico mixtum quidam propinaret. Illa quum ſtare jam loco neſciret, ſurſum deorſumque cur-

ſita.

ſitaret, hauſtumque venenum fruſtra evomere conaretur; animadvertens matrona modum invenit, quo aperto ipſi rictu globulum è ſucco Nicotianæ folio butyro compactum ingereret, à quo paullo poſt exhibitum venenum evomuit, ac ſervata eſt.

Notatu dignum quod ſcribit doctiſsimus Monardes, Indos hac herba famem ſitimque ſolari hoc modo. Conchylia quædam cochlearum fluviatilium urunt; deinde atterunt calcis modo. Horum & foliorum Tabaci æquas partes ſumunt, manduntque donec in unam quaſi maſſam conglobentur, ex qua trochiſcos piſo majores efformant, quos in umbra ſiccatos ſervant uſui. Iter per deſerta facturi in quibus nec cibus nec potus præſto eſt, ſubjectum labiis imiſque dentibus globulum inter eundum ſugunt, liquoremque inde manantem cibi potuſque loco deglutientes in ventriculum congerunt, quo abſumpto ingerunt alium: hac equidem induſtria famem ſitimque per triduum tole-

Famem ſitimque ſedat.

tolerantes aut quatriduum, ut ne minimam quidem virium jacturam sentiant; scilicet adsidua trochiscorum masticatione pituitosos è cerebro humores elicientes, quos succi melioris penuria in suum nutricatum convertit ventriculus. Plinius libro 7. cap. 2. refert. ad extremos Indiæ fines ab Oriente circa fontem Gangis Astomorum gentem halitu tantum vivere, & odore quem naribus trahunt; nullum illis cibum, nullumque potum; tantum radicum florumque & sylvestrium malorum odoribus vivere: quod fieri non posset nisi vere nutrirentur; vita siquidem cum nutritione convertitur. Locum Hippocratis sexto Epidemiorum Iohannes Alexandrinus enarrans, Democritum Abderitanum philosophum (quum ingruerent Thesmophoria, ne domum funestaret rogatus) sola mellis anaphora, id est, evaporatione vitam quatriduo sustentasse, de quorundam sententia adfirmat: quanquam alii calentium panum odore id factum malunt. Cujus item rei Oriba-

Vide etiam Strabon. lib. 15. & Cœl. Rhodigin. lib. 42. c. 21.

Laertius lib 9. de vit & morib. philosoph.

Oribasius 1. aphor. com. 12. meminisse est visus; inquiens; Philosophus autem refert ad odorem mellis quadraginta dies vixisse quendam. Verum hoc loco mendum est egregium, ut pro quatuor appositi sint quadraginta, facili per numerales notas lapsu. Pomi quoque præsuavi odore prorogatam aliquandiu Aristoteli vitam, in ejus tituli libro (quisquis sit Autor) adnotatum est. Sunt qui similiter panem calidum vino odorifero immersum naribus admovent ægrotorum, quem si temporibus & costis cataplasmatis modo imponimus, utique vires egregie restituimus. Aponensis quoque Conciliator moribundam vitam, ex croco & castoreo contusis, vinoque mixtis, producere se consuevisse testatur, senibusq; eam cõpositionem exhibuisse, nullatenus olfactu magis quam potu profuisse. Sed minime hæc mira. ut enim cibo & potu reficitur quicquid humidioris & solidioris substãtiæ effluxit: sic etiam spiritu & fumo reparatur quicquid aereæ humidęq; substan-

Valleriolę lib 2. locor. cõmun.

Cœlius lib. 24. cap 21.

Ferrerius lib. 2. meth.

ſtantiæ eſt diſſolutum. Si ergo ſpiritus & fumus (qui nihil eſt aliud quam tenuis ſubſtantia & aërea qualitas) ſoli nutriunt, (ut eleganter hoc docet Galenus 1. de ſanit. tuend. cap. 2.) multo melius id præſtabit odorifica vis amica naturæ qualitate permiſtus: Matthiolus quoque poſt Theophraſtum refert, Scythas glycyrrhiza contentos abſque alio alimentorum pręſidio decem duodecimve dies degere. Sane pro negativa parte argumenta in medium adferri poſſent plurima, quale eſt illud Ariſtotelis 2. de Anima cap. 3. ubi tactum alimenti ſenſum eſſe docet, quaſi dicat, Alimenta quatenus guſtabilia eſſe objecta tactus, Guſtus enim tactus quidam eſt, fumum ergo quum non ſit tangibilis haut quaquam nutrire convinci hinc poſſet. Item; quod nihil corpori alimentum præſtare poſsit, niſi in ventriculo prius, jecore, ac liene elaboratum fuerit (ut ait Galenus 1. de temp. cap. 1.) Item; quod eadem ſit materia nutritionis & generationis ex ejuſdem (Galeni doctrina 1. de

Fumus Tabaci utrum nutrire valeat?

1. Object.

2. Object.

3. Object.

1.de ſem.cap.16.) Ergo quum homo non generetur ex fumo ipſo plane nutriri non poſſe: & ejuſmodi plura argumenta alia.

Sed reſpondemus; notandum eſſe, fumum poſſe ſumi dupliciter; primo modo pro formali, & tunc eſſe qualitatem inſenſibilem à primis qualitatibus diſtinctam, ex earum tamen actione reſultantem, ſecundo modo pro materiali, hoc eſt pro ſubſtantia cui inhæret, ut hic eſt Tabacum: eſt autem hoc calidum & ſiccum caloris & ſubſtantię tenuitate conſideratum: Dicimus ergo, fumum aromaticum & ſuavem vires ſemper reficere, cerebrum, cor, & ventriculum roborando; his enim partibus qualitas gratiſſima eſt, & proinde earum temperiem ſubſtantiamque conſervat, ex fumo enim aromatizitate quadam permixto, ac ſimul cum ſuavi illo vapore inſpirato ſpiritus animales & vitales naturæ operationibus aptiſſimi regenerantur. Reponſ.

Alia quæſtio. Nutritionem appoſitio & adglutinatio debet præce- Alia quæſt.

Pars negat. cedere. Atqui fumus hic videtur tenuior & ſimplicior quam ut in eo aliquis adglutinationis modus poſſit excogitari. Ergo nutritionis materia non eſt dicendus.

1. Argument.

2. Argum. Secundum eſt, quia Aqua nullo modo nutrire valet 4. de uſu part. & 3. acut. com. 17. Ergo & fumus illa ſubtilior & ſimplicior omnino nutrire non poterit. Dicit item Galenus 10. meth. cap. 9. jocinori ex inſpirato aëre nullam utilitatem accedere, à comeſtis vero & bibitis minorem plane quam ventriculo, cæterum aliquam non obſcure convenire. Et confirmatur ea ratio ex

Confirmatio. Galeni doctrina 3. de uſu part. c. 1. & ſępe alibi dicentis, communiſſimam & maximam primamque nutrimenti viam ab ore illud ferre ad ventriculum quaſi ad promptuarium quoddam omnium particularum commune in medio animali poſitum, ubi ſemel concoctum ad jecur penetrat in ſanguinem convertendum, ex quo omnium partium fit nutritio. Atqui fumus hic à jecore non trahitur in ſanguinem

tranſ-

tranſmutandus. Ergo nutrire nequit.

Sed pro altera parte eſt Hippocrates lib. de Aliment. ubi fumum aereum per guttur inſpiratum poſſe nutrire pronunciat, his verbis. Principium alimenti ſpiritus, nares, os, guttur, pulmo, & reliqua reſpiratio, &c. Altera pars.

Pro ſolutione hujus difficultatis primum eſt notandum; hominem quum in perpetuo ſit fluxu, duplicique materia conſtet, terrea nempe & aquea, quæ partes ſolidas & carnoſas efformat, aëreaque & ignea, quę ſpiritus, alterum vitæ principium; hinc eſſe, ut duplici materia ei opus ſit ad utriuſque effluxæ diſſipatæque ſubſtantiæ reparationem; cibo videlicet & potu ad partem terream & aqueam deperditam reparandam, igne verò & aëre ad ſpiritalem reſarciendum, ut manifeſte ſatis docet Galen. 1. de ſanit. cap. 2. Secundum eſt, quod licet Spiritus nutriri ab Hippocrate (libr. de Aliment. citato) dicti ſint, non tamen vere nutriuntur, quum corporis vi- 1. Not. 2. Nota.

E ven-

ventes ac veræ partes non sint, neque naturalem facultatem nutrientem habeant, qua aëream materiam sibi familiarem in sui substantiam possint convertere, sed à potentissima cordis virtute validissimoque calore, tenuem sanguinis vaporem cum inspirato aëre subigente perpetuo regenerari. Dicit vero Hippocrates eos nutriri, quod mirum in modum refici ac recreari proprii instrumenti refectione animus sentitur, ac rursum spirituum exhalatione, ut privatus proprio instrumento, deficere. Itaque Spiritus generatur non quidem ex sua ipsius facultate, sed ab ea quæ omnibus membris principibus est indita, eo fere modo quo in ventriculo chylus & in hepate sanguis conficiuntur: non tamen quod Spiritus veluti & illa nutrimenti materia sint, nulli enim parti præ sua tenuitate & dissimilitudine adglutinari assimiliarique possunt.

Ad oppos. His sic præjectis facile erit ad opposita argumenta respondere.

1. Resp. Ad primum dicimus, non turbare nos debere aëris ad adglutinatio-

nen

nem ineptitudinem : eum namque partes ſolidas & carnoſas vera nutritione reficere non arbitramur, ſed dicta permiſtione à valido calore cordis percoctum in Spiritus ſubſtantiam abire profitemur.

Ad ſecundum reſponſio patet; Aqua licet ſola nutritioni inepta ſit, cum alimentis tamen permixta nutrientem conditionem comparare conſpicitur. 2 Reſp.

Ad confirmationem vero dicimus, verum quidem eſſe, eſculenta ac potulenta non alibi quam in ventriculo ac jecore ad nutritionem confici poſſe. aërem autem eiſdem tranſmutationibus indigere negamus. Sed unde digreſſi ſumus revertamur. Narrat Thomas Hariot in ſua Virginiæ deſcriptione, tanto apud ejuſdem Inſulæ incolas Tabacum eſſe in æſtimio, ut ſuos etiam Deos iſto delectari perſuaſum habeant. hinc ſacros ignes incendunt, loque ſacrificii hujus pulverem injiunt; navigantes quoque in tempeſtatibus aëri & aquæ pulverem ſpergunt. Eundem & ritum ob-

Ad confirmat. Reſp.

AEſtimium Peti apud Barbaros

ſervant, (addit idem Autor) mimicos admodum geſtus edendo, (nunc terram pedibus pulſando, nunc ſaltando, nunc manibus comploſis & in altum protenſis geſtiendo, nunc cœlum ſpectando & diſſona verba efferendo) ſi quando gravi aliquo periculo ſunt defuncti.

Nec prætereundum, quod vix ex Barbaris ullus offendatur, è cujus collo Tabaci faſciculus conglomeratus cum infundibulis ex palmæ foliis non pendeat: quique etiam cum familiaribus colloquens, fumum continuo per nares labiaque contuſa velut è thuribulo ad ecſtaſin uſque non exhalet.

Sunt inter illos qui ad tollendam laſſitudinem ſolatiumque in laboribus ſuſtinendum hoc ipſo fumo utantur. Quorum exemplo, inquit Monardes, ſervos noſtros ac Mauros qui in Indiam Occidentalem peregre profecti ſunt, id ipſum factitaſſe comperimus: nam ex crebris ſaltationibus ac cho-

Laſsitudinem tollit.

ræis

ræis defessi ac lassi eum ore naribusque attrahunt: unde idem illis quod Indis evenit: horis nimirum tribus aut quatuor mortuis similes videntur; postea integris viribus sunt, atque ad labores tolerandos multo quam prius alacriores. Quod quidem ipsis tam volupe est, ut subinde ab hominum conspectu secedant, quo liberius animo obsequantur etiamsi non sint defatigati. Quid, quod eo vesaniæ deveniunt, ut hoc nomine non raro pœnas hæris suis luant, qui & exuri Nicotianam studiose curant, ut desidiosæ istius voluptatis occasionem ipsis adimant. Quid verbis opus est? Vidi ego, nquit Monardes, servos Maurosque, quibus non permittitur inebriari vino, hoc fumo sese obruere, in quo non parvam voluptatem statuant, jactentque sublatam inde lassitudinem, nulloque io vel damno vel malo tam belle xceptos esse.

Schytæ quam mire inebrientur fumo.

Huc referendum quod Alexander ab Alexandro lib. 3. c. 11.

Maximus Tyrius sermon. 11, ut & Thraces Vide Pompon Melam. lib 2 c. 2. & Solinum cap 15 item Babylonii. Herodotus lib 1 nõ multo ante finem.

memoriæ reliquit, Scythas quum inebriari gaudeant, & abstemii sint, si quando ebrietatis dulcedine capi vellent, ne contra constitutum facerent, in ignem conjectis herbis & fumo hausto haut aliter quam epoto vino madidos fieri. Quod & de Thracibus traditur, qui epulantes focos ambiunt, herbarum semine ignibus injecto, cujus nidore capti ebrios imitantur, & tanquam vino adfecti temulenti jacent, sicut Nepenthes succo delibatis tristitiam discuti putarunt. Babylonii quoque incenso arborum fructu & fumo hausto ita ebrii reddebantur, ut tripudiis & cantibus exultarent.

Indorum sacerdotum vaticinãdimos.

Ad horum exemplum Indorum sacerdotes, quos Buhitos illi nominant, de rei alicujus eventu consulti suffitum Tabaci haurire solebant ad ecstasin excitandum & de re qualibet diabolum interrogandum. Indi enim bellum aut aliud quidpiam alicujus momenti suscipere non solebant, quin diabolum prius interrogassent de eventu, qui per os istorum pseudo prophetarum fumo Tabaci

baci inebriatorum illis respondebat. Consultus sacerdos Peti folia sicca urebat, fumumque per cannulam vel trajectorium, ut hodie etiam apud nostrates (nimis proh dolor!) in usu videmus, in os excipiebat, illo sese fumo eousque inebrians, donec omni penitus sopito sensu è mẽtis potestate exiret, & ecstasi quasi raptus in terram caderet, ubi maximam diei partem aut noctis omni prorsus motu privatus jacebat. Discussa tandem temulentia cum dæmone se contulisse mentiebatur, & prout animus illi suggerebat pronunciabat, num bellum suscipiendum esset an differendum, iter ineundem nec ne; & sic de reliquis quibus interrogabatur responsa dabat, sed ambigua, ut, utcunque caderet eventus, imperitæ multitudini facile persuadere posset sic se prædixisse. eoque modo barbaros istos homines misere ludebat.

Mira dęmonis astutia apud Indos.

Indorum quoque medici hoc fumo inebriati, & sensus impotes facti, mille de deorum consilio referebant, & tum terquaterque ęgri

Medicorum Indorum mos.

corpus volventes manibus fricabant. Os interim ore tenebant, quod mulierculæ tanquam reliquias postea conservabant. Interrogati de morbo læta respondebant omnia; si secus eveniret, in promptu erat excusatio, lethalem fuisse: Atqui consuetos hosce ritus neglexisse capitale erat. Ita profecto hominum inimicus Gentiles decipere consueverat. Apud nonnullos iidem erant medici qui sacerdotes.

Iohannes Metellus.

Sed jam Tabaci effectus usu qui optimi sunt deprehensi, particularius enarrabimus.

Catharrum præpar. in mater. frigid.

In pestillationibus ubi materia frigida infestaverit, suffitus fiant ex aridis Nicotianę foliis. cumprimis convenit Syrupus ejus, hic enim mirum in modum rheumata adstringit. Idem præstant folia manducata vel palato attrita, hæc pituitam in capite conceptam liquant, & ex ventriculis cerebri prioribus per eam partem quæ χοάνη, vulgò infundibulum dicitur, catharificos succos eliciendo destillationum alveos exsiccant. nescio an felicius ac fidelius ad hanc

hanc rem remedium institui possit.

Ad memoriæ quoque stabilimentum egregie facit fumus naribus exceptus; peculiari enim ratione dicatus est cerebro, facileque in ejus sinus subvehitur, ac id ab omni inquinamento eluit. (est enim cerebrum pituitæ metropolis, ut docet Hippocrates lib. de glandulis) Cibum præcedat tribus horis, ita commodius peccantes succos discutit & absterget. Non tamen scriptum hoc volumus iis, qui cottidiano ejus abusu semet ipsos & bonas horas in Tabaccariis tabernis perdentes, & ex cerebro suo mentis nobilissima sede, omnisque eruditionis ac scientiæ ταμιείῳ caminum simul & cloacam efficientes utile alioqui medicamentum profanant, meri ciniflones. Insignis apud Leydenses practicus D. Henricus Florentius Nobis aliquando retulit, D. Pauvium p. m. exercitatissimū ac celeberimū sui temporis Anatomicū, subjectū aliquādo ad anatomen adhibuisse, cujus olfactus plane ac omnino erat deperditus, idq; quoniā ne vestigia quidem

Memoriam firmans.

Nota.

Historia 1.

mammillarium apparebant processuum: quod ipsum præ immodico Nicotianæ haustu in dicto corpore accidisse non inanibus colligebatur conjecturis. Iam ante triginta (aut circiter) annos suspecta fuit ista ex Tabaco per nares suffumigatio & male audivit tanquam nimius & adsiduus ejus usus cerebrum pravis fuliginibus oppleret, ac tandem corrumperet. Audiamus quod doctissimus & de republica literaria optime meritus D. Iustus Raphelengius aliquando ad Nos perscripsit; verba ejus hic adponam. *Memini*, in-

Historia. 2. quit, *D. doctorem Pauvium p. m. in primis suis anatomicis administrationibus juvenem secuisse robustum, & cætera sanissimum, cujus cerebrum plane obsitum erat atris fuliginibus. Caussam ejus rei D. Pauvio indaganti, & ad maniam aut alium capitis adfectum id accidens referenti, responsum ab iis qui juvenem illum noverant, non valetudinarium eum unquam fuiße aut sontico morbo laborasse, sed usu adsiduo Tabaci ita adsuetum, ut raro diecu- lum intermitteret, quin auram illam fuli-*

fuliginosam hauriret. Hinc non temere igitur suspicabatur D. Pauvius congeriem illam fuliginum in cerebri cavitatibus factam. Hactenus ille. Plurima quidem ejusmodi exempla in medium adferri à nobis possent, quæ brevitatis caussa omittimus. Hæc & talia nocumenta sint tibi documenta philapne, & cavesis ne dulcis illa Mnemosyne Musarum parens ac amasia Iovis oculos aliquando suos à te avertat, divinoque isto sacrario ac luminibus thesauro incomparabili despoliet, tanquam indignum possessorem.

Cumprimis vero juvenibus summa cautione opus est in fumo hoc sorbendo; nimius enim & adsiduus ejus usus extra sanitatis lineam cerebrum redigit, & in intemperiem calidiorum multo abripit, ita ut ἐυκρασίαν suam & sanitatis ambitum deserat; hinc tandum sacra illa anchora indeploratum trahitur. juvenum enim nutricatus benignum madorem desiderat ad virium totiusque corporis roboramentum; cholericorum imprimis, in quibus cere-

Fumus Peti valde noxius corporibus juvenilibus.

Præsertim biliosis.

cerebrum caloris excessum non fert; calidum namque nativum opprimeretur adventitio, videatur Galenus comment. in lib. de Vict. salubr. Idem quoque subfumigium vehementer in nauseam ac vomitum ventriculum concitat (ut cottidiana experientia monstrat) vilis nimirum internis adhærendo, ac ita succos peculiares in ventriculo ac mesenterio contentos offendendo, operationes ejus consuetas demolitur. Etenim in exclusione materiæ ex ventriculo fieri non potest, quin una quid exhauriatur, in quo naturæ vis resedit; tum quod natura quum in suo versatur munere in habitum corporis trajicit alimentum quasi ad περιφέρειαν. at purgans omne ac turbans in centrum succos & Spiritus abducit. itaque his motibus adversis mirum in modum fatigatur natura; nil enim ægrius ferre potest quam duos contrarios motus uno & eodem tempore. Hostis itaque acerrimus est plurimorum stomachis, præsertim si post cœnam statim aut pran-

Vomitum enim ciet.

Itaque stomacho inimicus.

prandium ejus uſus ineatur. Atqui hoc reſpectu noxius eſt corporibus omnibus ſanis Hippocrate affirmante 2. Aphoriſm. 37. *Grave eſt hos purgare qui ſecura ſanitate fruuntur*; creber namque purgantium uſus maturam ſenectam infert, franguntur enim vires reſolutione partium ſolidarum ab hypercatharſi ſucci alibilis. Celſus quoque in ipſo ſui libri primordio *Alimenta ſanis, medicamenta ægris ſolum convenire* aſſerit. Sed detur non purgare, (quod tamen certiſſimum eſt, ut & alibi dicemus) corpus tamen alterat, quod in juvenilibus validiſque ſine magno detrimento fieri nunquam poterit; humiditatem præterea abſorbet, & perfectæ conſtitutionis calorem adauget, uti ignis & Sol ſenſibiliter calefaciunt ea quæ ipſis exponuntur.

Corpu alterat.

Audiamus Platonis exemplum 2. de legibus *Principio*, inquit, *lege ſanciemus, ut pueri uſque ad duodevigeſimum annum vini uſum prorſus*

igno-

ignorent. Nempe eos monebimus, non oportere ignem igni in corpus atque animam ſuggerere, antequam viri effecti ſubire labores incipiant; furioſum namque habitum juventutis cavere oportet; deinde vino moderate utantur uſque ad annum ætatis trigeſimum. Quod ſi Plato vino juvenes interdixit, quod caloris potentia caput halitibus repleat, multiſque & calidis vaporibus impleat, nimiumque corpus calefaciat, neque corpori modo, ſed etiam animo damnum vel maximum ejus uſu accedat, ut inquit Galenus 1. de ſanit. tuend. quàmobrem nedum juvenibus dandum minime vinũ, quod videlicet & ad irã & ad libidinẽ pręcipites faciat, & partẽ animi rationalẽ hebetem turbidamque reddat; anne hoc Tabaci fumus pręſtat efficacius? calidum eſt vinum & humidum, Tabacum vinum caliditate vincit, cui etiam exceſſui odorem iſtum fortem ſaporemque corroſivum debet. loco pręterea humiditatis vini habet etiam conjunctam ſiccitatem. Qui naturalem tantummodo philoſo-

phi-

phiam guſtavit, facile hinc concipere poteſt rem eſſe plenam periculi cholericis conſtitutionibus, quas ad febres ardentes, phreneſes, & hecticas diſponit, eaſdemque in melancholiam intempeſtivam traducit; calor enim non naturalis, naturalem corporis calorem ſuperans, eandem vaſtat ac deſtruit, ut monuimus, eademque opera intemperiem melancholicam continuo ejus uſu ingenerat; hinc ſicca poſtea bilis & calida inflammatur. ſed hoc ſenſim fit & ſine ſenſu juvenili ætate, & ſimul frequenti Zythi ingurgitatione (quo utuntur noſtri Tabaccarii) impediente quo minus ſubito hæc fiat alteratio. Dicit Galenus de ſanitate tuend. *Optimi temperamenti optimi mores*: qui & integrum librum ſcripſit in eum finem, ut probet, affectiones mentis ſequi temperaturam & conſtitutionem corporis. Quod tametſi intelligendum ſit præcipue de originali illa temperatura quam à parentibus accepimus, ſicuti tamen ea mutatur vel naturaliter cum ætate noſtra, vel accidentaliter

ex nimia Tabaci suffumigatione, aut alio quovis externo medio; ita & eandem magna affectuum & inclinationum mentis mutatio comitari solet, & sicut calor & acrimonia crescunt & habitant in sanguine, ita furor & temeritas in animo: incrassato jam concretoque sanguine tristis stupidusque evadit animus. hoc in nonnullis nimis est conspicuum, licet ab aliis prudenter dissimulatum. Non igitur videmus quomodo nimia ista Peti ad nares & cerebrum attractio non peragatur rea eversionis perfecti status corporum & animorum, obtritis frigidorum elementorum proportiunculis ac ad calorem promotis spoliata forma pristina; idque non solummodo in ipsis philocapnis sed & in eorum posteris, quum parentum temperatura & constitutio in liberos naturæ ordine transfundatur, & unà mentis adfectiones inde pendentes. *Quocunque*, inquit, doctissimus Fernelius, *morbo pater generans afficitur, idem in prolem transit.* & Galenus, *Mas formam, naturam, & essentiam dat*

Lib 2. de signis.

Lib. de caussis morbor.

dat infanti. Quando igitur corporis humores acrem hunc calorem & ſiccitatem ex nimio Tabaci ſuffitu contraxere, pater generat filium ſui ſimilem, ſed cui deeſt humor iſte naturalis, qui vitæ illius filium protrahat, eumque ad mores ingenuos, ſuaves & ſociabiles diſponat. Audiamus Avicennam Fen. 1. p. c. *In ipſius*, inquit, *Artis potentia ſitum eſt, ut ne putredo in nobis gignatur, & ut nativa humiditas diutius perennet, ne cito ab exſiccantibus, vel urentibus cauſis diſſolvatur, & ut etiam quam longiſsime unum quodque corpus ſecundum tempus à nativo temperamento ſibi debitum proferatur.* Quibus autem id præſidiis facere Ars poſſit paucis poſt verbis explicat, triplici ſcilicet cautione ab Arte adhibita: una ſcilicet in eſculentorum ac potulentorum recta adminiſtratione, in quantitate, qualitate, ſubſtantia, modo, ordine, menſura ac tempore; non neglecta interim loci occaſione. Altera in putrefactionis cautela. Tertia earum rerum prohibitione, quæ nocere vitę quum ſuapte natura poſſint,

ſint, humidum radicale brevi temporis ſpacio diſſolvunt, ſicque vitam momento rapiunt; qualia ſunt vigiliæ, curæ, angores, calefacientium item ac vehementer ſiccantium uſus; unde tandem defectu convenientis pabuli exſtingui nativum calorem humidumque primigenium omnino eſt neceſſe; hinc marcore & tabe deficimus. Vnde merito *Tabem Galenus* lib. de Tabe, *viventis corporis ex ſiccitate, conſumptionem eſſe dixit*. Ex hiſce igitur commemoratis facile elici poteſt, quod fumus hic tabificus ad vitæ brevitatem faciat. Quum enim nativus in nobis calor inſtar flammæ cujuſdam humidum, in quod agit, adſiduo depaſcatur, perinde ac accenſus lychnus oleum calore ſuo abſumit; conſequitur neceſſario, ut defectu pabuli quam celerrime, proprio vitæ diſſipato ſubjecto, vita evolet, deficiente una cum humido ipſo etiam innato calore, cuius defectio mors eſt.

Tabes quid.

Intelligitis igitur Tabaccarii fumoſas haſce fuligines Tabacinas quibus toti, ceu in profundiſſimo

cœ-

cœno lutulenti involvimini, ad vitam veſtram rapiendam plurimum certè momenti habere. Galenus loquens de medicinis aperientibus adſerit, eorum uſu frequenti ſolidas corporis partes exſiccari, ſanguinemque craſſum evadere ac concretum, qui in renibus exuſtus calculum generat. Hoc idem de Tabaco verè adfirmari poteſt, quo multi frequentius utuntur, quam ulli unquam hujuſmodi medicamentis aperientibus, plus enim continet in ſe caloris & ſiccitatis quam illud, atque eadem ratione plus virium ad lædendum ſana & eucrata corpora. Advertite igitur καπνοφίλοι, ne hujus apocapniſmi nimietate extralineam curratis, & ἀιθαλοέντος τῦ θεῦ aucupio vos metipſos mancipetis. Corporis bona ſunt Pulchritudo, Robur, & Bona valetudo: hanc ultimam tanquam potiorem commendans graviſſimus Autor Plutarchus, *ſanitatem maxime divinum longeque blandiſsimum eſſe vitæ condimentum; precioſiſsimamque rem* ut graviſſime, ſic certe doctiſſime, affirmavit: nil hac

5. de medic. ſimpl. facult.

fuligine obliti Dei.

Bonæ Valetudinis encomium.

hac præstabilius, nil optatius, nil etiam jucundius potest inveniri: *absque hac* (Hippocrate teste) *nulla reliquarum rerum voluptas aut fructus.* hæc est quę in hac vita utramque paginam facit; sine hac felix nemo dici potuit unquam; hæc honores amplissimos, hæc gazas & divitias omnes multis parasangaris longè antecellit, unde scitum illud Horatianum;

lib. i.ep. 2.

Non domus & fundus, non æris acervus & auri
AEgroto Domini deduxit corpore febres,
Non animo curas: valeat possessor oportet,
Si comparatis rebus bene cogitet uti.

Valetudinis sustentandæ ratio.

Vniversam vero ejus sustentandæ rationem unus omnium optimè tradidisse Cicero latini eloquii & pater & princeps libro Officior. 2. est visus. *Sustentatur valetudo* (ait) *notitia sui corporis & observatione earum rerum, quæ res aut prodesse soleant, aut obesse, & continentia in victu omni atque*

que

que cultu corporis tuẽdi causa, & prætermittendis voluptatibus, &c. Quid hac serie divinius, quid copiosius, quid elegantius, dici à quoquam poſsit, planè non liquet, ut qua universa valetudinis conservandę ratio lepidiſsime explicetur. digniſsima profecto sententia quę mentibus inscribatur eorum qui sanitatis studiosi. His utimur à quibus natura ipsa juvatur ac reficitur: ab his cavemus à quibus noxam nos sentire percipimus; idque duce & magistra *Natura*; quæ (Cato dixit) *dux vitæ nostræ est optima, multis ipsa signis declarans quæ desideret, quæ abhorreat, cuique repugnare nihil prorsus est aliud quàm gigantum more cum diis pugnare*: hæc continentia in omni victu, cultu, & prætermittendis voluptatibus conservatur. Continentia corpus vegetum, salubre, firmumque reddit: eadem præstat voluptatum contemptus: est enim (ut Plato inquit) *Voluptas esca malorum*: Hanc quum non minimã ex Tabaci suffitione percipiant (si

Cic. lib. 2. de senect.

in Philœb. de summo bono.

(si tamen voluptas hæc dici meretur) mirum quantopere sibi congratulentur, non cogitantes interim naturam lacessiri, immemoresque illius Ovidiani.

lib. 1. Eleg.

Impia sub dulci melle venena latent.

Plut lib. de tuend val.

Socrates suadere solitus erat, illos cibos potusve vitandos qui ultra sitim famemque sedandam producerent appetentiam, quod ea voluptate nos magis inescantia magnis malis inficerent, verum etenim illud;

Horat. 1. ep. 12.

——— *nocet empta dolore voluptas.*

Quomodo enim non turpe sit prorsusque detestandum, prudentissimum animal hominem enervibus hujus fumi illecebris ita irretiri, ut neglectis valetudinariæ artis pręceptis sordidissimo fumo inhians totum se invaletudine devovendum præbeat? Appętentia privari, radicali consumpto humido contabescere, febribus torqueri, aliisque infirmitatibus diversimodis angi, an non hæc præclara voluptatis impruden-

denter admiſſæ præmia? Satius eſſe cum Galeno ſentimus (ſi cui acetum in pectore) ſexcenties mori malle quam talem vitam vivere. Quod ſi ita eſt (ut profecto eſt) quorſum attinet pravis hiſce fuliginibus ſeſe devovere, naturamque ad ſui internecionem atque perniciem cogere? hominum hęc ſunt, an belluarum potius? vere Plinius: *Animalia omnia noſcunt ſibi ſalutaria præter hominem.* & recte Seneca. *Inter cauſas malorum noſtrorum, quod vivimus ad exempla, nec ratione componimur, ſed conſuetudine adducimur: quodſi pauci faciunt nolumus imitari: quum plures facere cœperunt, quaſi honeſtius ſit, frequentes ſequimur, & recti apud nos locum tenet error multorum.* & alibi: *Voluptatibus in conſuetudinem adductis carere non poſſunt: & ob hoc miſerrimi ſunt, quod eo perveniunt, ut illis quæ ſupervacua fuerant facta facta ſint neceſſaria: ſerviunt itaque voluptatibus non fruuntur, & mala ſua, quod malorum ultimum eſt, amant. tunc autem conſummata eſt infelicitas, ubi turpia non ſolùm delectant*

lib.27. cap.3.

Ep.39.

Ep.32.

lectant, sed etiam placent; & desinit esse remedio locus ubi quæ fuerant vitia mores sunt. Sed frustra monita Nostra,

——— dedit hæc contagio labem,
Et dabit in plures: sicut grex totus in agris
Vnius scabie cadit, & porrigine porci,
Vvaque conspecta livorem ducit ab uva.

Iuvenalis Sat. 2.8.

Vt finem faciamus, non quidem imus inficias in corporibus frigidis & humidis nimis cerebris, quę à madore titubant, & quibus pituitæ nimietas juncta est; aut ubi succus ille rigida quadam frigoris potentia cerebrum percellit (cujus signa sunt faciei albedo, venarumque inconspicabilitas, capilli recti, stabiles, & ruffi, frigoris impatientia, & totius corporis habitus rigidus, torpor & somnolentia, os, nares, oculi, madentes, &c.) suffumigio hoc pravarum istarum ac putidarum materierum saburram evacuari posse & excludi. Nondum tamen omnino

tutus

tutus in hoc reſpectu videtur nobis fumis iſte exceptus, niſi cum cautione & reſpectu. inter præcipuum vero haberi debet, ut ad neceſſitatem non ad libidinem & intemperantiam utatur. parcitas adſit & modus, purgetur vero caput prius ſternutatoriis ex Peti pulvere, ut alibi dicemus.

Videtur Nobis convenientius ſi tubuli illi vel fiſtulæ, per quas fumus recipitur, ſint, longiſſimę, quales ſunt barbarorum, quibus fumum longinquo hauriunt, quales & plures meminimus uti conſuetos, algidior enim ita redditus fumus gratiore Venere hauritur, nec vapidum adeo & acrem nidorem eructat. Cerebrum quoque quum venulis anguſtiſſimis conſtet ac minimis, non lubenter recipit craſſa iſta ſubfumigia penetratu difficilia, ſed tenuia & calida tantummodo. Perſæ ut & Turcæ Aloes lignum minutim concium Tabaco addunt in capitis adfectibus, ac ita per longam cannulam ex orichalco confectam (quam frigidæ imponunt aquæ, ut eò gelidius

fumus pervadat cerebrum) suffitum hunc hauriunt. Sunt qui olei Anisi guttulas aliquot addant; alios vidimus qui Caryophillos admiscebant, alios alia serosos ac frigidos capitis pectorisque humores evacuantia.

Barbarorum tubuli quales.

De Barbarorum instrumentis, sive fistulis, vel potius tubulis (quorum diversos icones in calce hujus Tabacologiæ exhibebimus) quæ Monardes narrat lib. simpl. medic. 3. nullius melius quam ipsius verbis, ut ea nobilissimus Clusius interpretatus est, potest benevolus lector intelligere. Advehuntur è nova, inquit, Hispania Tubuli quidam Cannarum sive Arundinum interiore parte quodam gummi inliti, quod mea opinione Tabaci succo infectum est, caput enim tentat: illo, ni fallor, cannam injungunt; utque tenax est, firmiter inhæret, colorisque nigri est: induratum autem non est tenax. Incenditur tubulus ea parte qua bitumine sive gummi infectus; altera vero in ore sumitur, fumusque excipitur; omnem pituitam & purulun-

lentos humores è pectore educens: hoc vero uti ſolent quum Aſthmate ſe premi, & veluti ſuffocari ſentiunt. hęc ille. & Cluſius in additamentis ad idem caput. De tecta, ait, ab Anglis duci Richardo Grenfeldio anno à Chriſti nativitate M. D. LXXXV. VVingandecaovv (quam ipſi Virginiam nuncuparunt) novi orbis Provincia, triginta ſex gradibus ab AEquatore Septemtrionem verſus diſtante; compererunt Incolas frequenter uti Tubulis quibuſdam ex argilla factis, ad foliorum Tabaci magna abundantia apud eos naſcentis, incenſorum-fumum hauriendum, ſive verius ſorbendum valetudinis conſervandæ gratia. Angli inde reduces ſimiles attulerunt tubos ad Tabaci fumum excipiendum: inde Tabaci uſus per univerſam Angliam adeo invaluit, pręſertim apud aulicos, ut multos ſimiles tubos fieri curarint ad Tabaci fumum ſorbendum. Hæc Cluſius de Anglis. addimus Nos Belgarum, Germanorum, Gallorum, Italorum, Turcarum, Arabum, Perſarum, im-

mo totius ferme orbis terrarum inhabitatorum magnā partem(ſi non maximā)hujus θυμίαματ☉ nidore ita ineſcatam, ut fœtidum hoc & olans ſubfumigium ſapidiſſimis etiā fumitionibus longè præferat. Cumprimis vero hoc thymiama apud Belgas noſtros frequenti eſt in uſu ; tum etiam inter mercimoniorum genera non contemnenda Tabaci præparati mercatura, & res inter negotiatores uberrimi quæſtus, ſi fortuna, etiam mediocris, adſpiraverit ; maximo profectò compendio & inſigni Hollandiæ & Zelandiæ mercatorum utilitate & fructu, qui ſiccatum & præparatum Tabacum, ut ex Indiis adportatur, in alias regiones, etiam longiſſime diſſitas tranſmittunt non ſine luculenti lucro. Quot mille hominum reperire eſt in potentiſſimo ac florentiſſimo illo Amſtelodamenſi Emporio (taceo Roterodamum, & reliquas hujus Provinciæ civitates) qui fortunæ primum tenuioris ut plurimum Tabaci venditione ſuam non ſolum ſuſtentarunt inopiam, ſed etiam quæ
ad

ad victum & amictum communis postulat necessitas abunde satis sibi suisque prospexerunt : immo sunt qui amplas inde divitias corrasetunt. quamvis illis non patrocinemur, qui specioso Tabaccarias tabernas (addo vinarias,ne dicam cerevisiarias & oinostagmatarias) exercendi titulo victum se & lucellum quoddam queritate prætendant, quum scortis interim & lenociniis prostituendis rem promoveant domesticam. Vt autem curiosus lector videat, quantopere marcimonium hoc Tabacinum apud Belgas vigeat; dicimus; indubitate hoc presagiri posse ex eo, quod citra controversiam fatendum: Illustrissimos & Potentissimos Hollandiæ Ordines, modico, & tolerando etiam, in Tabacum imposito tributo (quod tamen ante dies aliquot factum intelleximus) triginta florenorum millia, & ultra, ex solo vectigali Tabacino in publici erarii emolumentum à mercatoribus, qui hoc ex Indiis, adportari curant, pro lubitu cottannis posse colligere.

Vt redeamus unde ſumus digreſſi, diximus, ſuffitum hunc ſeroſos ac frigidos capitis humores poſſe evacuare: cui tamen adverſari videtur Hippocratis doctrina 5. Aphoriſm. 28. quæ habet. *Suffitus aromatum muliebria ciet, idemque ad alia non raro valeret, niſi capitis gravitatem adferret.* Vbi docet, Galeno in comment. ſubſcribente, totum corpus recte ſuffitum iri per uterum in omnibus frigidis ac humidis diſpoſitionibus, niſi timeremus illam quæ fit ex ſuffitu capitis gravitatem. ergo quum ad materiam pituitoſam in cerebro ſtabulantem haut quaquam quæ caput gravent ac repleant, ſed potius quæ ſublevent requirantur; ſuffitus qui ex rebus caput opplentibus, ipſo docente, Galeno, conſtant, in tali cerebri diſpoſitione, aut in ulla quapiam uſurpari non debent.

Difficultas.

Part. negat. argum.

Sed pro altera parte plurimi ſunt Autores graviſſimi magna cum laude praxin exercentes, ac docentes, qui ſubfumigationes in tali aut ſimili eventu ſummopere commendant, quibus non ſolum cottidianum experi-

Pars altera.

perimentum ſed etiam validiſſima ratio ſubſcribit: quia ad incidendum abſorbendumque humorem frigidum & humidum in cerebro collectum, nulla aptiora remedia inveniri poſſunt iis, quæ cerebrum roborandi atque attenuandi & exſiccandi facultatem ſortiuntur. Atque Tabaci fumum talem facultatem poſſidere certum eſt; nam calefaciendi, incidendi, attenuandi, aperiendi, & reſerandi facultate pollet. Ergo fumus hic ore perque nares hauſtus ad frigida & humida cerebri excrementa reſiccanda tanquam perutile remedium in hos uſus eſt trahendus. Ratio.

Pro ſolutione argumenti oppoſiti advertendum eſt, multum intereſſe ad hujuſcemodi remedii uſum conſiderare cerebri temperamentum (ut ante diximus) & humorem qui in eo ſuperfluit; ſi namque calidum illud ſit, Tabaci fumo valde repletur & gravatur, cujus eventus cauſa ſita eſt in ipſo partis calore (nam & calor communi nomine caloris trahit) atque etiam in- Notandum.

meatuum calidioris capitis amplitudine, ob quam aſcendentes vapores facile recipit: ſi vero cerebrum frigiditate & humiditate nimia laborans conſimilia inter ſe congenerat recrementa, hujus ſubſitu non implebitur, ſed potius refocillabitur exſiccabiturque, niſi forſan ob nimiam ſive nativam ſive naturam ſive morbo contractam debilitatem quorumvis vaporum contactum abſque gravitate & dolore ſuſtinere nequeat.

Ad argument. oppoſ. reſp.

His itaque ſic prænotatis ad contrarium argumentum dicimus; Hippocratem in Aphoriſmo allegato intelligendum eſſe de iis qui cerebrum admodum calidum & humidum habent aut etiam debile, & quod facile dolore gravitateque corripitur. frigido enim humidoque cerebro frigidis humidiſque recrementis onuſto ſuffitus calidus & ſiccans (qualis hic Tabaci eſt) ſummopere confert, præſertim per fiſtulam modo quem diximus exceptus. A quo tamen abſtinendum ducimus eos, quorum caput ob debili-

bilitatem delicatulamque naturam non solum fumis, sed moderatissimis etiam odoribus, percellitur, ac dolet.

Alia quæstio, Vtrum fumus Tabaci ventriculo ingestus humores superfluos è cerebro trahere queat?

Sequitur alia quæstio; Vtrum nempe Tabaci fumus ventriculo ingestus (quem morem apud multos imprimis nautas nostros, in usu cottidiano conspicamur) humores superfluos è cerebro trahere & purgare queat.

Part. affirmat. arg.

Pro parte affirmativa validissimę sunt rationes; quarum prima sumitur ex Hippocr. 7. Aphorism. 30. dicente. Quibuscunque per diarrhœas spumosa feruntur alvi recrementa, his ex capite effluunt talia. Vnde infertur, à capite ad ventriculum, nimirum per choanam, trahentis pharmaci facultate humores adlici posse. Secunda desumitur ex Actuario, Mesuæ, aliisque Autoribus probatissimis, Agaricum ad purgandos pituitosos succos in thorace & capite contentos commendantibus, quod plane non fecissent, si caput & thorax per ventrem vacuari non possent,

Part. negat. argum.

Pro negativa parte argumentum eſt, quia, ut docet Ariſtoteles 1. ſect. probl. quæſt. 42. medicamenta poſtquam ventrem adierunt, reſolutaque ſunt, ſtatim ad venas per eaſdem feruntur vias per quas cibus commeat, mox quum nihilo concoqui potuerunt, ſed victrice perſtiterunt potentia, relabuntur, & quæ ſibi ſubſiſtunt ſecum detrahunt; quæ res Purgatio vocitatur. Atqui à ventriculo ad cerebrum aut thoracem nullæ reperiuntur viæ per quas medicamentum purgans ad humorem alliciendum permeare poſſit:

Purgatio quomodo fiat.

Ergo humor in cerebro thoraceve contentus Tabaci fumo (ut purgantis pharmaci) vacuari non poterit. quam etiam ſententiam Ariſtotelis doctiſſimus; Fernelius 3. meth. cap. 7. defendere velle videtur.

Notandum igitur pro ſolutione hujus difficultatis, corpulentiorem hujus ſubfumigii ſubſtantiam ad purgandum humorem in cerebro, non egredè ventriculo, ſed ibidem remanere, aut in inteſtinis adhereſcere, in-

cere, indeque cognatum ſibi ſuccum proiicere; quod multipliciter probari poteſt. Primò, quia medicamenta extrinſecus adplicata, nempe 1.
umbilico, & umbilicaria ideo dicta, volæ manus, plantæ pedis, atque interdum naribus admota corpus purgant; at nihilominus ad humores purgandos pervadere nequeunt.
Secundò, quia ſæpe obſervamus, 2.
medicamenta & pillulas ferme integras poſt amplam purgationem rejectas, quod ſanè non accideret, ſi ad humores familiares trahendos in totum corpus pervaderent. Ter- 3.
tiò, Serapionis ratio prędictis non inepte ſubſcribit; ſi enim, inquit, medicamentum ad humorem longe diſsitum accederet, illi familiaritate jungeretur, nec eum cujus jucunda voluptate perfruitur, detraheret, aut exturbaret, quemadmodum nec magnes ferro junctus id ipſum alio trahit, ſed plane retinet ac ſervat. Fateri ergo oportet, fumificam quandam ſubſtantiam è ventriculo per venas alioſque cœcos & occultos ductus, non ſolum ad cerebrum,

ſed & in omnes corporis partes ἀδήλως diffundi quoquoverſum.

Ariſtotelis opinio cõfutatur.

Atqui hinc conſtat, perperam dixiſſe Ariſtotelem, purgantia in omne pervadere corpus, & noxium humorem quaſi vinctum in ventrem reducere.

Deciſio quæſt.

His igitur ſic notatis difficultati reſpondemus, dicendo, purgantia ad humores familiares ſibi attrahendos in corpus non permeare, ſed in ventriculo manentia ſua virtute ac proprietate eos ad ſe trahere ex omnibus corporis partibus per vias, quæ, licet nobis ignotę, naturæ tamen cognitæ ſunt.

Alia quæſtio. Vtrum cerebrum exſiccari queat reliquis corporis partibus in mediocritate conſtitutis.

Oritur heic alia quæſtio, Vtrum nimirum nimietas uſus Tabaci per fiſtulam hauſti cerebrum exſiccare queat reliquis corporis partibus in eucraſia conſtitutis?

Part. negat. arg.

Pro negativa parte argumentum eſt, quia humoris multitudo aut paucitas totius corporis ſequitur temperamentum à primordiis generationis contractum. ergo quum temperies totius animantis ſit, non autem unicę partis, humor pla-

plane in cerebro neque in ulla alia corporis parte poteſt exſiccari, quin in toto corpore etiam exſiccetur.

Quod autem temperamentum toti corpori ſit tribuendum, non autem uni peculiari membro, probatur ex Hippocrate 1. & 3. Epidemiorum libris, ex oculorum glaucedine, aſpera voce, nigriſque capillis, totius frigidum aut calidum temperamentum colligente, quaſi uno pars calida & frigida eſſe non poſſit, quin reliquum etiam corpus totum ad proportionem calidum aut frigidum reperiatur.

Pars altera.

Sed pro altera parte eſt Galenus ipſe 2. de Temper. cap. ultim. ubi pluribus probat argumentis non eſſe neceſſarium ut ſingulę corporis partes totius ſequantur temperiem. Quamvis enim in corpore temperato atque optime conſtituto æqualis temperatura per totum reperiri valeat, in aliis tamen quæ ab hac exquiſita temperie juſtitialique diſpenſatione deſciſcunt: id

id in totum verum esse non potest immo stat esse hominem pectoris amplissimi & hirsutissimi, ideoque Leonis instar corde calidum & audacem, non tamen proinde reliquo corpore calentem. Sic videmus cottidie (ut reliqua exempla prætereamus) homines plures jecore calido, cerebro vero frigido præditos, & è converso; ut mirari non liceat, si idem homo qui reliquas corporis venas turgentes obtinet, eas tamen que in capite & cerebro sunt exsiccatas habere aliquomodo. Hoc enim fieri posse addit Galenus, ut intemperamenti excessus in uno membro, excessus oppositi in reliquis causa sit & imbecillitas, aut unius robur aliorum firmitate aut imbecillitate compensetur.

Ad oppos. argum. respons.

Quando igitur Hippocrates (ut opposito argumento satisfaciamus) ex oculorum colore aut vocis gracilitate totius colligit temperiem, recipi potest, quasi ea in corporis totius æquali temperatura exploraverit, in qua unius partis indicia in reliquis locum habent. Vel intelli-

gi etiam illa poteſt doctrina quando alia in toto corpore ſigna ad idem oſtendendum concurrunt. Si enim, verbi gratia, adſunt indicia caloris in toto, atque eis jungitur vocis magnitudo cum pectoris amplitudine, evidens ex his ſignis calor totius corporis oſtenditur. Quod ſimiliter de cerebri aliarumque partium complexione cum reliquo corporis temperamento comparanda debet intelligi.



Qui longis, imo annuis, uſibus hunc per os & nares ſuffitum adſueverunt, dictum volumus hanc, ſuffumigationem ipſis minus nocere; *Conſuetudo enim eſt acquiſititia quædam natura*, teſte Galeno 2. de motu muſc. & 2. de temperam. vel eſt adſcitius quidam habitus ex crebris unius cujuſpiam rei actionibus longo uſu comparatus, qui habitus conſueto uſu naturæ ingenitus factus eſt familiaris: unde illud divini Hippocratis 2. Aphoriſm. 50. *Quarum rerum inveteravit conſuetudo quamvis deteriores ſint illa, minus tamen inſuetis malè afficiunt. eſt ergo adſue-*

Cõſuetudinis definitio.

1.

2.

torum usus suscipiendus. Verissimum hoc axioma & extra omnem contradicentiæ aleam; in omnibus enim consuetis, ut consueta, insuetis minus noxia: ob consuetudinem enim, etiam ea quæ deteriora sunt, longo usu naturæ familiaria redduntur, ac proinde minime noxia; quod namque naturæ familiare est, innoxium esse solet. Tantum verò consuetudo valet, ut ab illa tum in servanda valetudine tum in curandis morbis magnam sit sumere indicationem, nec multo quam à natura inferiorem, ut Hippocrates & Galenus multis in locis insinuarunt. etenim, cum insuetis semper natura gaudeat, (ut octavo methodi adfirmat Galenus) constat, id cui se quispiam adsueverit perpetuo esse servandum: à consuetudine enim perinde atque à natura & ætate similium indicatio sumitur. Quum itaque servandam semper consuetudinem Hippocrates & Galenus adfirmarint, quanti sit periculi à consueto, præsertim longa annorum serie confirmato (quale hic est ex Taba-

co

co per os naresve suffumigium) desciscere, illudque in contrarium mutare præsertim si repetente aut immodice id fiat, perspectum hinc omnibus liquidò arbitramur: unde etiam Celsus lib. 1 c. 3. *Periclitatur & qui semel & qui bis die cibum incontinenter contra consuetudinem assumit* item: *neque ex nimio labore subitum otium, neque ex nimio otio subitus labor sine gravi noxa est.* Quum igitur hanc ex Tabaco suffumigationem intermittere quis meditatur, non temere nec subito mutanda consuetudo, ut quæ naturæ fere vim æquet. Proinde hoc fumo adsueti facilè eum ferunt; contra graviter qui prӕter consuetudinem enim hauriunt. Hæc efficit, ut salubria non solum nobis usui sint, sed quæ alioqui (nisi adsueta essent) essent deterrima futura, salubria evadant. Tantӕ potentiæ atque virium hanc denique scimus esse, ut non solum adsumptorum malignitatem ipsa superet; sed (quod magis miremur) ipsam venenorum perniciem vincat, ut quæ venenositate sua spoliet. sic N:B:
de

de puella napello nutrita legimus, quæ paulatim adſueta eo uſa eſt pro alimento. Galenus 3. ſimpl. cap.
Avicenna 6 4. tr.i.c.2. 18. anus cujuſdam Athenienſis meminit, quæ ab exigua cicutę portione auſpicata ſenſim progrediendo effecit, ut ea innoxie in magna copia veſceretur. Legimus de puella quadam in Colonia Agrippina quæ in
Cælius lib. 11. cap. 13. trimatu parietibus arreperet araneas venatura quas voraret; eoque cibi genere oblectata inſigniter aleretur. & Methridates Ponti rex quo-
Plinius. lib. 25. c. 2 tidie ſumens venenum conſuetudine ſibi tam familiare reddidit, ut quum ſibi mortem inferre vellet, ſumpto viro, ne in manus Pompei veniret, exitiale toxicum innoxie ſumpſerit.

Martialis lib 5. 117.
Profecit poto Mithridates ſæpe veneno,
Toxica ne poßent ſæva nocere ſibi.

Sleidanus lib. 9. Autor eſt, Papam Clementem VII. diuturno ſtomachi vitio ſublatum, quum victus rationem ſuaſore Medico Curtio mutaſſet, jam ſenex. Sed quid multa in re quæ cottidianis confirmatur exem-

emplis? videmus eos qui pharmacis purgantibus sæpius utuntur majori ac vehementiori medicamenti stimulo indigere quum à mitioribus, quibus antea irritabantur, minimam deinde commotionem persentiant; experimentoque confesto comperimus, frequenti clysteriorum usum alvum sui immemorem quasi stupescere, nec aliis cedere præsidiis, ut Albano duci evenit, cui sine enemate non respondebat alvus, nam sui quasi oblita natura totum se medicinę familiari concrederat. Plura de assuetudinis robore qui volet, legat quæ de Thrasia & Eudemo Chio memoriæ reliquit Theophrastus libro nono de historia plantarum capite decimo octavo.

N. B:

Heurn. in meth. ad prax. lib 3. c 19.

F I N I S.

THRENODIA NICOTIANAE.

ILLA Ego, Francorum regalibus insita septis,
Reginæ dicta Herba diu, vergentibus horis
Autumni flos notus, odore frondis honore
Adliciens animos, foliorum larga meorum,
Illorum succo sævos medicata dolores
Vulneris, & varios, tantum non integra, morbos,
Heu misera, heu, trador crudis innoxia flammis,
Atque hostes oblecto meos! proh fata! quid hoc est,
Quod non morte mea morior; nec mî mea mater
Tellus hosce oculos claudit; sed flamma perurens
Me totam absumit! Solo nunc nota Tabaci
Nomine; Reginæ nomen, nomenque NicotI
Aut Sanç & Sanctæ (jam sacra & debita flammis)
Amisi, misera, heu, tantum quæ servor, ut urar!
Ergo igitur, quoniam ingratus mea dona maligne
Spernis, homo, nunc jure bono tua gaudia damnans,

Post-

Postquam uris quod amas, & amate in funere plantæ
Exultas, cinerum adsiduus te addico favillis,
Quamdiu terrarum dabitur Solisque potiri.
Ortus enim est aliquis Nostris ex ossibus Vltor
Petuni Genius, *qui quamdiu possidet arcem*
Humanæ mentis, tamdiu rationis egena,
Seria seponens nil magni cogitat unquam;
Sed Nostris adfixa rogis, fuligine tætra
Aera conspurcans exhalas opaca mephitum:
Quæ non de Nostro producta cadavere tantum,
Sed de nescio queis fucis & fraude recenti,
Efficit, ut proprii pereat Mihi gratia odoris;
Gratia sed maneat modo subcisiva, carere,
Qua nequeunt, quicunq; favum fuliginis hujus
Gustarunt; nam sic cum sanis fascinat ægros,
Vt morbo gaudere suo videantur; & optent
Vsque frui fumo, prætextu sive catharri
Sive alio adfectu; quum mens non sana laboret,
Et Mihi det pœnas; fumus gloria prima,
Et desiderium; sed mi lacrumabile funus.
Hic Te præ reliquis VVingandecauva *ministris,*
Teque Tabasco *reas facio: tum quisquis in Orbe*
Occiduo super es qui Nostram subvehis herbam,
Vt pascas fumo fatuos: Te devovet idem
Iste Meus Genius, *Tibi ne super ulla quietis*
Ho-

Hora ſiet ; ſed Francus , Iber , Britto , *atque* Batavus,
Dum lucroſa Tibi fingunt commercia ; tandem
Servili tua colla jugo ſubmittere quærant :
Et merito : nam vos fumoſæ tegmine mercis
Sic dementaſtis populos, ut Martia corda
Nunc fumos ſolum ſpirent : tum munere veſtro
Omnis in hoc ſæcli noſtri conſiſtit honeſtas ;
Flant cineres , ut multa ſpuant, fumoſaque ructent.

Vos Aſiæ, Europę , genteſque Libyſtidos oræ,
Crudelitate levi quia ſacræ illuditis herbæ,
Et nidore meo gaudetis ; ſolvite pœnas
Has Mihi , quod nunquam ceſſabunt triſtia bella,
Et quod nullus amor populos nec fœdera jungent :
Sed Vos tamdudum ſequar atris ignibus abſens,
Quamdudum inter Vos plus Noſtri pulveris hauſtus
Et cineris , Herbæ quam ſuccus , honoris habebit.
Barbaries terris ſuccedet, priſtina virtus
Exilio ſe ſponte ſuo mulctabit amaro :
Nec Vos ante ſuo dignabitur Illa reviſis
Quam Bona Mens , *Noſtros tandem miſerata labores,*

Hu-

Humano generi gratissima Diva *redibit.*
Tunc Mea stirps cultus secure crescet in hortis,
Et me non ignis sed Fati finiet hora:
Tunc hominis, demum mucos cineresque perosi,
Non sentina magis, putrisque cloaca, Cerebrum,
Nec fumi, velut ante fuit, domus atque caminus,
Sed Rationis *erit sedes: in seque reversus*
Ceu postliminio tractabit seria Mundus.

Erudito Viro.

D. IOANNI NEANDRO
Germano, Philoſopho atque Medico non è multis, ingenuam TABACI virtutemque uſumque doctè ediſſerenti & enucleanti.

QVis novus hic Batavis exſurgens ſedibus hoſpes;
Quis vir odoriferis Batavum ſuffitibus orbem
Imbuit, immenſum incenſurus odoribus orbem?
Tune NEANDER is es? qui nunc toto orbe mephitim
Voluere odoriferam, Cælumque involuere ſumas?
Europæ populis, ipſiſque ſtupentibus Indis;
Qui ſibi jure volunt Stirpis plantaria ſacræ
Deberi? facinus pulchrum! me judice, Plantæ
Gangeticæ indigenas Indos, omneſque docere
Terrarum indigenas virtutem uſumque, potentis
Stirpis & aureolas dotes in luminis oras
Ferre! opus invidiæ expoſitum! non Inda, nec ipſa
Serica gens potuit! Septem ſubjecta trioni
Gens nunquam auſa nefas: quæ inſanùm Stirpis odoro
Halitui indulget, quæ gens quàm diu halitus erret

Ore,

EPISTOLÆ
ET
IUDICIA
Clarissimorum aliquot Medicorum.

DE
TABACO.



VLTRAIECTI,
[...]o DAVIDE ab HOOGENHVYSEN
Anno cIↄ Iↄ c XLIV,

Ore, hunc nare legit. Tibi Scriptori Herba merenti
Sancta datur, frustrà Nemansensi illa parenti:
Nec Regina tuo de nomine postera dicent
Secula, & incassùm peregrinis vocibus; illa,
Voce nova lustris labentibus illa NEANDRI
Herba per omnigenas mundi vulgabitur oras.
Et meritò, gens Inda quidem Sacra semina terris
Seraque committunt, rigat & gens Mexica, verum
Germano incrementa trahit cultore NEANDRO,
Ingenua, & nova, docta, orbique ignota priori.
Unde honor & laudes & læto gloria vultu
[c]ara NEANDRE tuos ultra Garamantes & Indos
[t]e vectura, novum fassuros Stirpis alumnum,
[C]ultoremque, patremque tuum; cui plurima tellus
aurea serta parat, cui gens perplurima Plantæ
[H]aud timet indulgere, Herbæ virtute retectâ
[G]ermanâ, virtute tua: quâ haud sanior Herba
[H]esperiis jam nota, Eoæque agnita genti.
[M]acte istac virtute, cui gens Indica Plantæ
[S]ummirom fasces ultrò cum gente Batava

 Iam

Iam deferre ardet, cui gens prædoctior orbis
Accinit; en meritos jam nunc gratantur honores
Africa gens, Asiæque ingens, Europaque, & omnis
Delicias censura tuas tellure marique
Abs te docta. Sed heus! suffitu plurium ocellos
Præstrinxisse putas? stomachum & movisse? triumpha!
Hoc virtutis opus! solet à virtute dolere
Invidiæ vis victa! istâc tu macte triumpha!

honoris ergo scripsi

H. DELMANHORSTIVS M.

F I N I S.

glis quis primum ejus usum monstraverit ignoro: suspicor tamen ad eos detulisse Franciscũ Draeck secundũ orbis terrarum circumnavigatorem. Apud nostrates herba diu cognita fuit, modũ tamen hauriendi fumũ per infũdibula vel contorta folia, ut Petrus Pena describit, nunquam videram ante annum circiter 1590. *cum Lugduni Batavorum Medicinæ operam darem, tum primùm animadverti studiosos Anglos, & Gallos fumum sugentes, quos cum imitari vellem, ut ejus herbæ vires experirem, excitavit mihi magnam commotionem alvi, & ventriculi, tantamque temulentiam, sive vertiginem, ut proximum fulcrum arripere coactus fuerim; non diu tamen duravit. De formâ & viribus Tabaci nihil scribam, quia autores jam citati, tum neoterici botanici ferè omnes satis hanc herbam ejusque admirabiles virtutes descripserunt: appellent* Panaceam, Sanaſanctam, & Herbam ſanctam. *Paulus Renealmus* βρεννοχρίς *nomen, ab effectu, indidit.*

Advers. p. 252.

Specimine Hiſtor. Plantarum p. 38.

Vt tamen breviter tuæ quæst satisfacere possim; dico me existimare hãc herbã

calidam & siccam esse, & inter valide purgantia referendam, nullamque venenatam qualitatem habere: cautè tamen, nec nisi in robustis corporibus ejus succo, aut infuso ad purgationes moliendas utendum: Idemque judico de pulvere naribus indendo, & de fumo ore per tubulos fictiles hauriendo: existimo enim iis posse suppleri vices errhinorum, masticatoriorum, & apophlegmatismorum: quibus medici sæpè, & magno cum successu olim utebantur, hodieque non raro utuntur. Has tamen facultates, & pituitæ eductionem non ad Calidam, & siccam temperiem, sed ad occultam proprietatem referendas censeo. Nec videtur mihi verisimile fumum Tabaci ad ipsam Cerebri substantiam, multo minus ad ejus Cavernas, seu ventriculos posse pervenire, sed existimo virtute medicamenti pituitam è cerebro per pelvim & glandulam pituitariam attrahi, quemadmodum ferrum à magnete trahitur. Si de occulta medicamentorum facultate plura desideras, consule incomparabilem Fernelium & Ioh. Langium, aliosque medicos. Multa adhuc in rerum

De abd. rer. caus. lib. 2. c. 2 & 17. Epist. Med. 18. lib. 2.

natu-

Clarissimo Doctissimoque Viro

D. IOHANNI NEANDRO, Philosopho & Medico S.



Iteras tuas, clarissime Domine Neander, accepi, è quibus intellexi, te Tabacologiam tuam jam ferè absolvisse, & jam solummodo meum judicium de quibusdam quæ nuper præsens mihi dixeras, expectare: conabor itaque pro viribus breviter de iis meam opinionem indicare. Tres hujus herbæ species in horto meo habeo; Prima est, quam D. Car. Clusius Petum Latifolium appellat: Altera, quam Idem Petum angustifolium nominat: Tertia, quam ferè omnes rei Herbariæ scriptores sub nomine Hyoscyami Lutei descripserunt. Habui præterea ante quatuor, vel quinque annos prioris speciei alterum genus; cujus folia æque longa sed dimidio angustiora erant, folia suis processibus caules etiam amplectebantur, sed periit illa planta hyeme antequam semen maturesceret. Secundæ verò speciei alterum genus memini Scholiis in cap. 4 Nic. Monard.

me vidisse ante triginta annos Lugduni Batavorum in horto doctissimi & humanissimi viri Ioh. ab Hogelanden, cujus effigiem exhibet M. Lobelius nomine Tabaci minimi. Omnes has species existimo nobis primum ex Americâ delatas, nec ante illarum regionum detectionem hisce regionibus cognitas, nisi fortasse tertia species cognita fuerit. Tabaci nomen ab Hispanis huic herbæ inditum est, nam Americanis Picielt, *Brasilianis* Petum. *Incolis Hispaniolæ Insulæ* Perebecenuc *vocatur. Sed deinde aliqui Europæi viri nobiles, herbæ hujus insignes vires experti, veterum Regum, & Reginarum exemplo, à nomine suo hanc herbam denominarunt, ut sic nomen eorum cum herbâ quotannis renascendo immortale redderetur. Ad Gallos primum detulit Ioan. Nicotius Regius aliquãdo in Lusitaniâ Orator, qui eã à suo nomine* Nicotianã *appellavit, & quia Reginæ dederat etiã à nonnullis* Herba Reginæ *vocata est. Italis, ut testatur Andr. Cæsalpinus,* Tornabona *nominatur, quod Nicolai Tornabonii Antistitis, & ad Regem Galliæ Legati, operâ trãsmissa sit. Anglis*

Observ. pag. 316.

Lib 5 de platis c. 43.

Circa annum M.D. LXXXV.

glis

natura abdita latent, quorum causas perspicacissimi Philosophi, & medici nullâ ratione assequi queunt. Unicum ejus rei exemplum tibi propono, cujus causam ex te quæro, & an apud aliquem idoneum autorem eâ de re quicquam legeris. Indidi aliquando oculo ægri collyrium quod inter cætera aloën habebat: ille paulo post dicebat, jam mutatum est medicamentum, & aloë additum: saporem enim ejus percipio; ego jussi ut guttam oculo meo instillaret, & paulo post saporem aloës in palato percepi. Deinde ut certior essem, confeci Collyrium ex Aloës dr. ß. & aquæ rosaceæ dr. II. tepidè mistis ut aloë dissolveretur: Iussi guttam instillari oculo meo, & intra horæ spacium tam perfecte ejus saporem percepi, ac si linguæ instillassem. Cœpi tunc primum attentius considerare sententiam Galeni, qui dicit esse foramina in oculorum anglis circa nasum, per quæ medicamenta ocularia plerumque à multis exspuuntur, aut emunguntur: quem eo nomine reprehendit Realdus Columbus; qui dicit, sibi id hactenus experiri minimé licuisse. Ego qui non solùm à di-

Lib. 10. de usu part. c. 11.

Lib. 1. de secundo osse maxillæ sup.

versis ægris id intellexi, sed etiam in meipso expertus sum, sentio cum Galeno, medicamentorum sapores posse penetrare ab oculis ad palatum: cum tamen nullum manifestum meatum in sectionibus tam privatis quam publicis invenire potuerim, cum Columbo dicerem, talem meatum non inveniri: sed existimarem potius vires & sapores medicamentorum occultâ aliquâ vi oculorum membranas & glandulas lachrymales penetrare.

Sed ut ad Tabacum redeam: sunt qui herbam hanc, & præcipue ejus fumum existimant esse Alexipharmacum sive antidotum contra luem veneream: meâ opinione longè à scopo aberrant: nullum enim meliorem præcautionis modum à lue illa inveniri posse existimo, quàm vitare Venerem & ejus pedissequas, nec adire Lupanaria, & Crypta, ubi ejus sacra celebrantur. Illis verò qui dono Castitatis destituuntur consulerem uti remedio, quod Apostolus Paulus in medium consulit, cujus remedii institutorem esse Deum Omnipotentem generis humani creatorem, satis declarat Moses. Sed iis qui humana imbecillita-

Epist. 1. ad Corynth. cap 7 v. 9. lib: Gen. c. 2. v 20.

te

te lapsi hanc luem contraxerunt, potius Guajaci quam Tabaci usum recommendarem. Sufficient hæc de Tabaci laudibus, superest ut calamum vertam in ejus vituperatores: hoc tamen obtestor, me nolle patrocinari iis, qui hac herba, aut ejus fumo abutuntur, quique sine ulla necessitate, omni fere tempore, & hora hauriunt: hos comparare possemus belluonibus qui se putant ad fruges consumendum natos, quique quo plus bibunt & edunt, eo magis putant se sitire & esurire, aversanturque sobrietatem, æque ac illi qui pica & malacia laborant, potiones medicas quæ ejus morbum curare possent. Qui hanc herbam vituperant dicunt, ideo damnandam quod apud Barbaros proveniat, & ab Hispanorum mancipiis primum inventa & usurpata sit: tum quod ejus fumus ingratum odorem, & saporem relinquat, utentes temulentos reddat, & Cerebrum corrumpat: Contra hos canabor exemplis demonstrare, non solum medicos istiusmodi rebus quæ apud Barbaros proveniunt, aut etiam amaris, ingrati saporis, fœtidis & fumo frequenter uti: sed etiã multos homines exoticam-

medicamenta cibis quotidie pro condimentis immiscere. An illi qui ideo damnandum existimant quia apud Barbaros proveniat, non considerant etiam saccarum, Zinziber, Piper, Cinnamomum, nuces myristicas & innumera alia aromata apud easdem gentes provenire? quorum tamen tantus ubique est usus, imo sæpissime abusus, ut cibus, vel potus vix suavis judicetur, cui nihil istorum admixtum sit: Vt interim taceam de Rhabarbaro tam utili medicamento, quod non solum nomen à Barbaria traxit, sed cujus planta nullibi in Christiano orbe provenit, quamvis nonnulli Lapathum rotundifolium, vel alias plantas perperam eo nomine appellant. Vtimur similiter in medicamentis Laserpitio, sive asa fœtida quod apud Barbaros etiam provenit tantoque fœtore nares ferit, ut inde à Germanis Teufels Dreck, *id est Stercus dæmonum appelletur: nihilominus tamen per totam fere Indiam non solũ pro medicamento, sed etiam pro optimo condimento cibis immiscetur, proque Deorum cibo habetur cui teterrimus hic succus admixtus est; cujus lepi-*

pidam historiam refert Garcias ab Horto. Hinc videre potes verum esse hoc adagium: Quot homines tot sententiæ: nos pro medicamento utimur, Plinius interdum noxiam putat, Indi pro Ambrosia, Lusitani pro cacadæmonum Cibo, Germani pro ejusdem Oleto habent. Si Diogenes celebris ille Cynicus Philosophus (& quia Græcus illorum judicio minime Barbarus) revivisceret, sannis nos exciperet, diceretque nec nobis sacharo, Zinzibere, &c. nec Indis assa fœtida, pro condimentis opus esse, sufficere, suo exemplo, lupinos pro cibo, & aquam, vini loco, posse sitim sedare, denique dolium suum omnibus ædificiis præferret. Hujus sententiam approbaret Lucianus qui Timocli Philosopho dicit: Noveris Te hæc omnia genus, libertatem, progenitores ante limen relinquere, quum in hujusmodi servitutem temet ipsum addicens in ædes ingrederis. Siquidem libertas tibi comes ire recusarit, &c. & paulo post. Usque adeone te lupini, aut holerum agrestium tenuit penuria? usque adeo tibi defuerunt fontes frigidæ manantes aqua, ut per desperationem

Arom. simplic. Histor. cap. 3.

Lib. 22. cap. 23.

Dialog. de Mercede cōduct.

ad ista devenires? &c. Sed quid his immoror cum Græci ipsi fateantur, sese omnes artium ingenuarum disciplinas à Barbaris accepisse, & medicinam ab Ægyptiis (quos illi etiam Barbaros appellant) didicisse: qui etiam fatentur non pauca ab animalibus iis monstrata fuisse: ut venæ sectionem ab Hippopotamo bellua Nili, & clysmatū usū ab Ibide ave, præterea multas herbarum vires ab animalibus inventas.

Ioh Lā-gius lib. 2. Epistol. medic. Epist. 2.

Sunt qui præstantissimam hanc herbam odio prosequuntur, & qui fumum calumniantur, cum tamen medici sæpissime non solum rerum odoratarum fumo, sed etiam fætidarum nidore magno cum successu ad symptomata mitiganda, & morbos curandos utantur: Dioscorides enim scribit, Tussilaginis folia sicca incensa, siccas tusses, & in difficultate spiritus, non nisi recta cervice spirantes sanare, in quem usum biantes fumum ore excipiunt, & transglutiunt. Et Plinius: de *Tussilagine: hujus aridæ cum radice fumus per harundinem haustus, & devoratus, veterem sanare dicitur tussim. Nihil itaque novi est, ad depellendos morbos fumum naribus exci-*

Lib. 3. c. 17.

excipere aut ore haurire: sed cum Latini per arundinem, Græci, ut quidam Dioscoridis interpretes volunt, per infundibulum, Americani per convoluta folia, fumos haurire consueti fuerint; laudanda profectò est Anglorum solertia, qui fictiles tubulos (si modo illorum hoc inventum est, & non Barbarorum) ad fumum hauriendum aptissimos invenerunt. Aliqui omnino damnandam hanc herbam existimant, quia ejus fumus temulentiam excitat: sed hallucinantur meo judicio: cum is moderate sumptus, præcipue iis qui assueti sunt, nullam temulentiam faciat, tum etiam ideo, quod lævior hæc sit, & citius discutiatur quam illa quæ à vino contrahitur. Lib. 26. cap. 6.

Rigidissimi istiusmodi censores deberent potius (exemplum Mahumetis secuti) omnem vini usum hominibus interdicere: quia multæ cædes, scortationes, & adulteria ab ebris committuntur. Multo profectò mitius cum Judæis egit Moses illorum Legislator; qui quamvis ipse scripserat Noë primum vitis plantatorem, cum de vino illius bibisset, parum verecunde, Gen. 9. cap 20. vers.

vel

Genes. cap. 19. vers. 30 *vel nudum dormisse, & Lot cum vinum bibisset, inebriatum cum duabus filiabus incestum commisisse: tamen vinum aut potum inebriantem solummodo interdicit sacerdotibus quum ingressuri essent tentorium conventus, & Nazaræis.* Levit cap. 10. vers. 9. Numer. cap. 6. v 2. *Et quamvis sacra scriptura multis in locis ebrietatem abominetur: nihilominus tamen vinum laudat, dicitque quod lætificat Deum & homines.* Iudic. cap. 9 v. 13 *Tanquam vita est vinum hominibus, si moderate illud sumatur. Quænam vita est homini qui destituitur vino? creatum enim est ad lætitiam hominibus. Exultationem cordis, lætitiamque animi efficit vinum potum tempestive quod satis est.* Eccles. cap. 31 vers. 30. *Plurima præterea exempla è Medicis, Philosophis, & Poetis adferre possem ad demonstrandum illos vini usum (propter paucorum abusum) in totum non condemnasse. Sed ipsa experientia satis docet, nullam esse regionem cui natura vinum denegavit, cujus incolæ non aliunde vinum accersant, aut saltem ipsimet aliquod succedaneum è frumento, aut aliis herbis, vel seminibus conficiant. Turcæ, & Arabum atque Indorum maxi-* Alex. ab Alex. lib 3. c. 11. dierum Genial.

ma.

si quid habes de Tabaci viribus, propria experientia & usu comprobatum, rogo ne supprimas, sed in artis utilitatem promas: nec te moveat Plinii autoritas, qui omnia exotica & composita medicamenta damnat: multoque minus Catonis & veterum Romanorum rigiditas, qui omnes Medicos & Philosophos Urbe pellebant, deterreat: ars enim non habet inimicos nisi ignorantes. Propter morbos Medicina inventa est, ægrotorũ miseria, & dolores sæpe intolerabiles, faciunt, ut medicorum opem implorent: at penuria blandium, & secure purgantium medicamentorum, nostræ patriæ, cogit nos exoticis uti: sed cur nõ utemur si modo id faciamus tempestive & caute, in usum ægrotorum: idque cum gratiarum actione: considerantes Deum tam illa, quam hæc in usum hominum creasse, illumque voluisse, ut non omnia ferret omnis tellus, ut ita unus alterius ope indigens, mutuus amor per commertia coleretur: fælicissimumque illum æstimo, qui his omnibus Dei donis, tam ad nutritionem corporis, quam ad sanitatis conservationem, & morborum curationem creatis, tem-

tempestive & temperate uti novit: faxit Deus ut nos inter illos numerari mereamur. Vale, & saluta meo nomine hospitem tuum Christianum Porretum. Scripsi Delphis apud Batavos mense Octobri anno 1621.

Tibi addictissimus

GVILHELMVS DE MERA, Medicus apud Delphenses ordinarius.

Clariss. Doctiss. Viro

D. IOHANNI NEANDRO, Bremensi, GVIL. vander MEERHagiensis S. P. D.



Esponsum tuum ad postremas meas literas, quibus Te ad inspectionem Anatomicæ nostræ sectionis invitabam, ut in subiecto Philocapni istius furis vecticularii, quod tunc præ manibus habebam, præ-

ma pars qui Mahumetis dogmata sequuntur, Opio vini loco utuntur, non solum ad exhilarandum, lassitudinem ex laboribus animique fastidia tollendum, sed etiam ad inebriandum: adeoque sese Opio assuefaciunt, ut sine vitæ periculo desuescere nequeant: cujus rei memorabilia exempla habes apud Christophorum à Costa & Garciam ab Horto. Quid itaque admirandum est quod nonnulli Tabaci fumum tam liberaliter sumant, habeantque pro præclaro omnis luctus, ac mœroris antidoto in suis periculosissimis itineribus, quemadmodum Menelaus, & Helena vinum Nepenches quod Ægyptiorum Regina, ipsos conficere docuerat cum tempestatibus eo dejecti essent: cum illi Opium nulla coloris elegantia, odoris suavitate, aut saporis gratitudine recommendabile medicamentum, quod omnes Medici uno ore, non solum inter narcotica sive stupefacientia, sed etiam inter venenata medicamenta recensent: cujusque vix pauca grana eaque aliis medicamentis correcta, & nisi summa necessitate urgente exhibere audent, à viginti ad quinquaginta Hist. Arom. c. 2. Simpl. Hist. cap 4.

gra-

grana, & ut ille refert, de quodam Corasone, ad Dragmas decem quotidie sumant.

Ad postremam tuam questionem quod attinet; scilicet an D. Pauvvius invenerit nigram crustam (è fumo Tabaci contractam) in cerebro cadaveris à se dissecti, uti Tu Te à D. D. Raphelengio intellexisse dicis, ego plane ignoro: cum hoc affirmare possim, me jam hic Delphis apud Batavos diversa cadavera publice in theatro secuisse; posteaquam hic usus (vel potius abusus) Tabaci usque adeo invaluit; inter quos (memorabile est) fur ille vecticularius cujus sectioni Tu etiam ante triennium interfuisti; quique inter fumisugas celeberrimus fuerat; qui etiam post acceptam mortis sententiam, ipsaque mortis hora, à carnifice & lictoribus pro summo, uti aestimabat, beneficio Tabaci fistulam impetraverat: in illis tamen me omnes cerebri partes, processus, ductus & ventriculos diligenter examinasse, & nihil tale invenisse. Hæc sunt, clarissime D. Neander, quæ tibi si non qua optarem brevitate, saltem obiter scribenda duxi. Tu si quid

bant quemadmodum in aliis per ſuturas facere ſolent. Deinde menſe Martio 1615. iterum publice ſecui mulierem ferme ſexagenariam propter adulterium inceſtuoſum ſtrangulatam, in qua inveni, venis portæ ſphleneticis juxta ſplenem duas glandulas adnatas, unam nucis juglandis magnitudine, alteram paulò minorem ejuſdem ſubſtantiæ & coloris cum liene: tum quod magis admirandum, in interiori parte dextra duræ meningis, verſus proceſſum falciformen, (qui dextram partẽ cerebri à ſiniſtra dirimit) adnata erant ſex oſſicula lata, & compreſſa quorum nonnulla 4. alia 5. aut 6. prominentias cuſpidum acicularum inſtar acutas habebant, quę tenuem meningem compunxerant ut apparebat ex ulcuſculis, & ſanie ibidem exiſtentibus; adeo ut dubitandum non ſit quin (ſi mulier quæ ſemper dolore capitis laboraverat diutius vixiſſet) graviora ſymptomata ſuperveniſſent. Non tamen veriſimile mihi videtur illa oſſicula è fumo Tabaci nata fuiſſe; uti & illa fora-

mina

Lib. XV. de iis quæ raro in Anatome contingunt.

mammillares olfactus instrumenta deessent. Scribit Realdus Columbus, se inspexisse, & dissecâsse Lazarum Vitrivorum, qui dum viveret nullo prorsus gustu præditus erat, devorabatque insipida, amara, dulcia, acria, salsa, pinguia, vitrum, saxa; lutum, carbones, &c. invenitque quartam conjugationem nervorum, quæ gustus gratia in aliis hominibus producta est, in eo neque ad palatum, neque ad liuguam, reptare, sed ad occipitium. Dissecui ego publice anno 1614. mense decembri Piratam natione Britannum in cujus intestino tenui, Ileon appellato, inveni appendicem, sive processum sex transversos pollices longum, qui latitudine sive capacitate ipsum intestinum superabat, distans à fine Iejuni, sive ilei principio, quatuor pedum longitudine, qualem antea nunquam videram: præterea sutura sagittalis in cranio non apparebat, sed in utroque latere in ossibus syncipitis foramen aderat, per quæ processus duræ meningis prodeuntes ipsam meningem sustinebant

ruptelam aut fuliginem inventam fuiſſe. Tum potiſſimum quod jam multos fumiſugos diſſecuerim tam publice, quam privatim, in quibus omnibus nunquam aliquid invenire potui, quod ullam vel læviſſimam fuliginis, aut nigredinis notam vel ſuſpicionem præbere poſſet: cum tamen certo certius conſtet hunc, quem jam menſe Decembri proxime elapſo ſecui, adhuc fumum Tabaci hauſiſſe ipſa mortis hora, id eſt poſtquam ſententia mortis ipſi prælecta eſſet, quemadmodum etiam fecerat gibber ille de quo nuper tibi ſcripſi. Examinavi & perſcrutatus ſum in illis omnes cerebri partes, ductus, ventriculos, proceſſus mammillares, glandem & pelvim pituitariam, nihilque tale inveni quod me à concepta opinione dimovere poſſet. Quamvis ergo abuſum Tabaci minime laudare poſſim, tamen moderatum ejus uſum, interdum illis qui pituitoſi ſunt, præcipue iis qui ejus fumo ſeſe aſſuefecerunt, commendo ad pituitæ è cerebro eductionem, nullam inde noxam metuens,

tuens, ipſe autem non utor, idque quia ſatis proſpera ſanitate (Deo propitiante) hactenus uſus fuerim; & bis ante multos annos expertus ſim, fumum iſtum mihi magnam commotionem & temulentiam aliquam efficere. Ad reſponſum Tuum quod attinet de penetratione ocu-lariorum medicamentorum, ſcribis extra omnem dubitationem eſſe quod inveniantur foramina in craniis circa naſum in oculorum angulis: hoc equidem vidi in omnibus noſtris ſceletis, ſed illa ſunt in ſuturis, quibus oſſiculum illud, quod Columbus ſecundum maxillæ ſuperioris nominat, cum Cranii oſſibus conjungitur, per quæ venæ, arteriæ, & nervi tranſeunt. Sed loquor de membranis quibus oſſiculum illud tegitur, ibi enim nullum manifeſtum meatum inveniri dico cum Columbo.

Vale V. C.

Raptim Delphis apud Batavos.

S. Do-

S. Doctissime

D. NEANDER.



Ccepi Tabacologiam Tuam quam transmisisti mihi typis propediem evulgandam. Petis ut aperiam Tibi quid de Tabaci etymis sentiam; paucis scribam quid mihi videatur: igitur ad nomenclaturas quod attinet, hæc habe. Onosma *seu* Onosmio *Æginetæ qualis sit herba mihi non liquet. Scio à plerisque Onosma vocari Anchusæ sive Buglossi speciem, sed an ea verum sit Onosma veterum, nec ne, æque mihi ac illis incertum: Certi enim quid de veterum autorum nominibus, quæ illi herbis tribuunt; velle pronunciare, esset clara insaniæ nostræ cõfessio; aut saltem ignaviæ ipsorum (veterum inquam) nimis officiosa excusatio, qui herbarum notas accurate describere aut neglexerunt aut posteris inviderunt. Quod autem Guilandinus Onosma nominet, fortassis accidit eò, quod quispiam ambitiosus botanicus semen aliquod exoticum trans-*

mittens Patavium, schedulæ suæ Onosmatis nomen adscripserit, vel quod ipse semen illud Onosmatis esse putârit, vel tale videri voluerit; ut sunt quidam Botanici ridiculè novorum nominum aut saltem speciosorum amantissimi; & se pro imperitis habitum iri putant, si vulgari vocabulo utantur. Potest fieri, Onosma dictum fuisse ab odore asinino, qualem in Cynoglossa quidam percipiunt, qualemque in Tabaco tam viridi quàm sicco ejusque fumo etiam animadverterere se dicunt: sed non ringantur ideo Tabaci amatores; asini enim non in India solum, sed etiam in Italiâ Siciliaque gratum quemdam ac moscho persimilem odorem naribus quorundam hominum non prorsus inelegantium adspirant. Quicquit sit, sufficit addidisse libro Tuo Tabacum apud quosdam Onosma Æginetæ vocari: rationes ipsorum addere aut inquirere non est necesse; nec opus plura verba facere de re incertâ. Nicotianæ nomen esse Tabac *aut* Toback *nec adferendum puto, nec negandum. Universale esse toti Indiæ Occidentali vix potest, quum tot in eâ sint idiomata. Credo*

qui-

quibusdam Insulam Occidentalium locis Petun *vocari, quod vocabulum apud Gallos hodie adhuc frequenti est in usu: Fieri autem potest in Insula quæ Tabasco, Tavasco aut Tabacco dicitur, hanc herbam* Petun, Picielt, *aut* Perebecenuc *vocari: in aliis autem regionibus, quæ è Tabacco Insula hanc ipsam petunt, ab Insulæ nomine appellari* Tabacum: *quo modo* Malvasia *Insulæ & vini nomen est apud Italos; cujus rei plura paßim exemplares varias locorum adsumere nomenclaturam. Sed hæ sunt conjecturæ duntaxat; nec iis solidè aut pertinaciter standum: Hoc solùm adstruo, postquam hisce & aliis regionibus* Tabaci *nomen aut* Tobaci *invaluit, non temere ab eo recedendum; multò minus* Blennochoidis *nomen, aut ei simile vocabulum aliquod recipiendum; cujusmodi plurima doctißimus Renealmus, licet proprie, ingeniose & apposite, fingit: nam olim mecum Cl. Clusio, & aliis, non necessaria visa fuit illa nova nominum impositio: deplorandum enim nobis magis, memoriam nostram non sufficere jam vulgatis nominibus addiscendis, & firmiter tenendis,*

dis quam satagendum, ut herbas identidem babtiZemus, & pro novis animadversis viribus novo titulo condecoremus: cùm enim summus Deus entium summam copiam creârit, nos nomina multiplicare minime opus esse judicamus. Vale, & salve, ocelle juvenum, &c. à Tuo.

Iusto Raphelengio, M.

Omni virtutum genere Ornatissimo Viro,

D. IOHANNI NEANDRO, Bremano, Philosopho, & & Medico egregio, Salutem.

LItteras tuas, vir eximie, recepi, quibus rogas & ex me quæris, ut, an, & quomodo Tabaci fumus ad ipsam cerebri substantiam pervenire, itemque nimio hujus suffumigii usu crusta quędam nigra in capite generari queat, & ad alia nonnulla quæ-

quæsita tibi rescriberem: ad quæ hæc, quæ sequuntur, respondeo. Foliorum Tabaci siccatorum accensorumque fumum ore, aut naribus haustum exceptumque non tantum ad utrumque cerebri omentum, seu utramque cerebri menyngem quantaquanta est quoquovorsum, verum etiam intra totam illam insignem sibique continuatam cavitatem cerebri substantiæ intus insculptam, atque exactioris doctrinæ gratia ab Anatomicis in quatuor ventriculos divisam, quinetiam in ipsum cerebri corpus atque substantiam universam, id est in poros meatusque ejus insensiles, penetrare affirmo. Affirmationis meæ veritatem atque necessitatem sequentibus argumentis conficio, atque demonstro. Eorum primum est viarum, per quas ex oris, & narium capacitate in prædicta loca motu locali tranferatur, obvia præsentia, numerositas, commoditas, proclivitas atque facilitas: quas vias sigillatim ordine recensebo. Inter has primo loco occurrunt ampla, patentissima, ac semper

hiantia illa duo oblonga faucibus ſeu ori interiori, & naribus communia, oſſiculo quodam tenero ac fragili, quod interſtitii nomine diligentiores Anatomici deſcripſerunt, à ſe invicem diſſepta, per quæ fumus Tabaci tum ex ore ad oſſis ſphenoidis ſeu cuneiformis baſin, & in nares, tum viciſſim contra è naribus ad prædicti oſſis baſin, & in os tranſfluere nullo negotio poteſt. Hæc foramina in quolibet capite ad anatomen adhibito diſſertis palati, ſuperioris maxillæ, ac narium oſſiculis ita manifeſte in ſenſus incurrunt, imo & iiſdem non diſſectis per filum æneum, aut ferreum incurvatum, & modo per nares in oris capacitatem, modo vero contra per os in nares uſque, ſine ullo obſtaculo ductum atque trajectum ita liquido explorantur, ac depræhenduntur, ut nullus reſtet de iis dubitandi locus. Quamobrem ad reliquas vias progredior, ducto ab iis, quæ ex ore ad cerebrum, ejuſque membranas tendunt, exordio. Igitur fumus ex fumante Tabaci fiſtu-

la

la ore exſuctus, ut veluti gradatim ad prędictas partes aſcendat, principio ad Oſſis Cuneiformis baſin jam citatam pervadit, partim per prædicta illa duo, ut jam monui, patentiſſima foramina, partim per oſſiculorum palati ſuturas, & innumera exiliaque, ad ſenſum tamen manifeſtiſſime conſpicua, foraminula, quæ ſingula inveſtiuntur tenuiſſima originem à craſſiore illa, quę palatum inveſtit, ſimiliterq; veluti perforata eſt, trahēte membranula. Non eſt profecto cœlum ſeu octava cœli ſphæra dēſius ſtellis fixis obſita, quā oſſa palati ejuſmodi exiguis, rotūdis, ſparſis, ac veluti conſtellantibus foraminulis ſunt pertuſa, atque inſignita; à qua potentiſſimum horum foraminulorum cum ſyderibus cœleſtibus ſimilitudine Palatum Latinis Oris cœlum, Græcis οὐρανός appellatur. Per hæc foraminula, per quæ pituitam cerebri ab oſſe cuneiformi in palatum ſuperne delabentem quotidie, præſertim lingua palatum ſuhentes, in os permeare ſentimus, etiam fumus Tabaci ex ore penetrat,

& ad os cuneiforme ascendit. Interim etiam minime silentio prætereundum esse censeo, insigne illud atque satis amplum rotundumque foramen palato in anteriori parte juxta dentes incisorios plerumque excisum, per quod, ut linguę extremitate palatum sugentibus nobis dictum ac factum pituita prolicitur, ita quoque contrario ductu fumus Tabaci ad idem os cuneiforme prædictum effertur atque attollitur. Quo simul ac ventum est, non hic sistitur fumus, sed statim alias in promptu reperit vias, per quas & ad duram cerebri menyngem, & ad glandulam pituitariam accedat. Nam, ut alias brevitatis causa vias omittam, primum cranii os illud cuneiforme decem potissimum manifestis, ac notabilis magnitudinis foraminibus est pertusum, per quæ etiam pituitosum cerebri excrementum è glandula pituitaria derivatur, quorum quatuor ad minimum in oculorum orbitas, reliqua pars præcipue in fauces, & palato, ac naribus communem amplitudinem spectat,

è qua-

è qua duo ſunt ſatis ampla, quæ (niſi quod etiam inſigniores carotidum arteriarum ramos intra cranium intromittant) pituitæ è glandula pituitaria derivatæ in ſubjectum palatum, fauces, ac nares defluxi ex profeſſo potiſsimum ſunt deſtinata. In foramina ſex palatum, ac fauces reſpicientia ſtatim proxime & immediate, in quatuor vero reliqua oculi utriuſque orbitam ſpectantia non niſi aliis quatuor inſignibus foraminibus ab utraque orbita in palatum pertingentibus, ipſaque orbita utraque mediantibus penetrat. Vt primum vero per hæc decem oſſis ſphenoidis foramina cranii concavitatem ingreſſus eſt, non tantum ad extimam duræ matris cerebri ſuperficiem appellit, & quoverſum medio inter eandem ſuperficiem, & cranii oſſa ſpacio deerrans ſurſum ad bregma uſque evolat atque attollitur, verumetiam glandulam pituitariam attingens, per ejuſdem poros, meatus, ac raram ſpongioſitatem, per quam illa indeſinenter pituitam ſuam eructat inſenſibilem ejus cavi-

Hanc sensibilem & manifestam glandulę pituitarię cavitatem etiam agnovit Galenus lib. 9. de usu part c. 3. pauxillum ab initio.

tatem, hincque per infundibuli manifestissimam fistulositatem in cerebri ventriculos se insinuat, è quibus deinde mediantibus poris quoquoversam in universam cerebri molem ad extimam usque superficiem, & tenuem menyngem ejus penetrat atque effertur. Nec desunt haut infimi nominis Anatomici, qui asseverare audent, mediam osis sphenoidis partem, quæ sellam equinam glandulę pituitariæ sedem efformat, aliquando saltem non intus modo cavernosam, aut foraminulentam, sed extus quoque utraque superficie tam superiore, quam inferiore crebris foraminulis, cribri instar, esse pertusam, per quę etiam foraminula, & deinde per suturas, quibus narium interstitio vicinis osibus committitur, pituitosum excrementum ex glandulæ pituitariæ basi in subjectum palatum sensim ac pedetentim transcoletur atque destillet; hique, quocumque tandem jure ac merito, munire se nituntur etiam authoritate Galeni lib. 9. de usu part. cap. 3. Id in quotcunque subje-

ctis

ctis verum est, in totidem etiam proculdubio vice versa per easdem suturas, & foraminula fumus Tabaci è palato ad glandulæ prædictę basin ipsam usque penetraverit. Nunc ad vias, per quas è naribus interioribus ad cerebrum, ejusque ventriculos, & membranas iter est, me accingo: inter quas primo loco occurrunt numerosa illa ossis ethmoidis sive cribriformis exigua foramina, quę omnia & singula tenuissimis productionibus partim piæ matris, quæ papillares cerebri processus superne ossiculo prædicto ad latera cristæ galli incumbentes cingit, partim durę matris superiorem ossiculi superficiem tegentis involvuntur; quę productiones deinde cum membrana nares interius succingente continuantur, unde mirus ille narium interiorum cum cerebri membranis, ipsoque cerebro, consensus. ex quo etiam titillatis, aut acrimonia lacessitis naribus statim sternutare cogimur. Per hæc ossis jam dicti foramina, sive per has fistulosas membraneas productiones seu

cana-

canaliculos quoſdam ut neceſsitatis tempore pituitæ, ſpiritui, ac fuliginibus egreſſus, & omni tempore aeri, atque odoribus ingreſſus; ſic quoque fumo Tabaci è naribus ad papillares proceſſus datur aditus; per quos deinde mediantibus certis ipſorum meatibus, qui etiam prædictis materiebus ingreſſum, egreſſumve exhibent, in nervorum odoratoriorum manifeſtam penetrat fiſtuloſitatem, (Sunt enim nervi odoratorii revera intus concavi, & fiſtuloſi, adeo quidem inſigniter, & manifeſte, ut vel ſtylus mediocris in canalem ipſorum inſeri poſsit, (ut non ſemel hiſce oculis vidi, & hiſce manibus periculum feci) per eamque liberrimo impetu in cerebri ventriculos omnes, atque ex his per univerſam cerebri ſubſtantiam ad circumferentiam uſque, & ad tenuem ejus menyngem pervadit. Atque hoc primum eſt argumentum à viis petitum: ſecundum argumentum ſuppeditabunt principia & cauſæ, quæ hunc fumi ex ore, & naribus in ſuperiores partes prædictas motum effici-

fficiunt. Inter has cauſas primum bi locum vendicat cerebri propria eſpiratio, & aſſiduus ac indeſinens le reciprocus ſyſtoles ac diaſtoles notus, quo univerſa cerebri moles iciſſim modo ſe attolit, ac dilatat, nodo deprimit, atque conſtringit; tque in diaſtole quidem ſpiritum italem è carotidibus arteriis plexum choroidem conſtituentibus, aërem vero ambientem cum odoribus, ac proinde etiam neceſſario una umum Tabaci è naribus per os thmoides, papillares proceſſus, ac nervos odoratorios, forte etiam quodammodo è palato per oſsis cuneiformis foramina jam enarrata, glandulam pituitariam, & infundibulum, in ſe attrahit & allicit: in ſyſtole vero tum ſpiritum animalem, in ſpinalem medullam & nervos diſtribuit, tum fuligines atque excrementa cerebri, unaque etiam fumum Tabaci per palatum, nares, alioſque meatus excludit. Secundo loco eſt capitis, & cerebri ipſius ſitus, atque conformatio: Eſt enim non tantum in faſtigio, quo omnes fumi, atque

que vapores naturaliter recta aſcendunt & evolant, perpendiculariter reliquo corpori veluti operculum ſuperne impoſitum; ſed etiam figura ventricoſa rotunda, intus cava, inferne tantum perforata, reliquis partibus undique cœca, ac plane cucurbitulari præditum, cujus beneficio inſtar cucurbitulæ medicæ flamma calfactæ ut fumos, & vapores ex univerſi corporis partibus inferioribus, etiam remotiſsimis, ſic quoque facillime fumum Tabaci è locis viciniſsimis in ſe rapit, attrahit, atque recondit. Tertio accedit natura, motus, atque ſubſtantia ipſius fumi prædicti, qui propria ſua indole leviſſimus, inſita vi perpendiculariter ſurſum in cerebrum aſcendit; & acrimonia, vi aperiendi, ac penetrandi, & ſubſtantię λεπτομέρεια, ſeu tenuitate partium præditus facillime quà datâ viâ etiam per anguſtiſsimos quoſque meatus in cerebrum, ejuſque omenta pervadit. Habes argumenta, quibus fumum Tabaci ad membranas cerebri, & in ipſum cerebrum univerſum penetrare, demon-

nonſtratum exiſtimo . Ex quibus e-
iam modus , quo eouſque perveni-
t, ita manifeſte ac clare perſpicitur,
it nihil de eo ſuperaddendum ope-
æ precium exiſtimem. Quod vero
umorem eſſe narras , teſtari Anato-
nicos, nigram ex concretis ſordibus
ruſtam non ſemel repertam fuiſſe
n mortuis, qui dum viverent nimio
Tabaci ſuffumigio gaviſi fuerant ,
leque ea re quid ſentiam poſtulas ;
eſpondeo quod neque temere huic
amæ aſſentiri , neque pertinaciter
ontradicere auſim , utpote cujus
eritas experientia , & ſenſuum fide
otius , quam ratione exploretur,
Hoc affirmare auſim, quominus ali-
uando id fiat nullam eſſe rationem
uæ reclamet. Triplici enim ratio-
e, & cauſa poſsibile eſſe judico , ut
ſsiduo in uſu hujus ſuffumigii ver-
antibus cruſta aliqua nigra pręter
naturam in capite generetur. Pri-
num enim ſi in aliqua è partibus ca-
itis iis, ad quas fumum Tabaci per-
enire poſſe oſtendimus, magna co-
ia cacochymiæ pituitoſę, craſſæ, len-
æ , ac viſcidæ colligatur , ac diutina
mora,

mora, vique medicamenti tenuiori-
bus ejus portionibus exhaustis ac di-
ſpatis craſsiores ſuo lentore ac te-
nacitate parti velut adglutinatæ re-
tineanter, quid mirum ſi paulatim in
cruſtam quandam excoquantur at-
que indureſcant? Et quod ſi intere-
temporis dum hoc fit homo ille inde-
deſinenter, & immodice Tabaci u-
tatur ſuffumigio, quod aſsiduo ad
naſcentem illam cruſtam appellat;
quid mirum ab atro illo, atque uli-
ginoſo fumo concreſcentem illam
cruſtam ſimili colore atro tingi at-
que infici? Teſtari poſſum, me in
diſſecto capite, medio inter duram
menyngem, & totam cranii baſin
ſpatio, duram ejuſmodi, concretam,
& ſiccam cruſtam, cranii oſsibus te-
naciter adhęreſcentem, albam ta-
men, deprehendiſſe: ac talem ſæpius
noſtro ſæculo in inſigniter lue vene-
rea laborantibus ex virulenta mate-
ria huc protruſa in eodem loco con-
creſcere experientia habeo comper-
tiſsimum: quod ſi prædictus homo,
aut alius quilibet ita affectus interea
temporis materiam hanc Tabaco
fre-

:quentiſsime, & imodice ſuffumi-
ſſet, quid, quæſo, facilius materia
dem quam atrorem ſeu nigredi-
m fumi ejus contrahere potuiſſet?
cundum, ut ut fumus Tabaci
ialitate ſiccus ſit, quia tamen ſub-
ntiæ ac conſiſtentię unctuoſum,
nguem, lentum, ac facile concreſ-
ntem humorum in ſe obtinet, fieri
ſſe exiſtimo, ut ex eo denſe, ac
ebro ſurſum aſcendente temporis
uturnitate à cerebri, & reliquarum
rtium frigore, ſeu remiſſo calore
ateria quædam atra, pinguis, &
iginoſa concreſcat, & ſuo lentore
rtibus adhæreſcat, quæ deinde in-
ſinente fumi ejuſdem appulſu, &
poſitione accrementum accipi-
is, tractu temporis obdureſcat, at-
ie cruſtoſum veluti corpus conſti-
iat. Idem enim etiam ex ignis ac-
nſi fumo quotidie in focis & fu-
iariis noſtris accidere videmus:
que interdum haud ita multo ali-
r rem ſe habere merito quis exiſti-
iet in iis, quibus hypochondriacæ
ielancholię gravi ac diuturnę, me-
incholia primaria ac partinax ſuc-
cedit.

cedit. Tertium impoſſibile non eſ
exiſtimo, ut à fumi hujus acrimoni
& ſiccandi vi cerebri, aut capitis pa
aliqua, in quam præcipue ſalvis ac
huc viribus penetrat, atque incurſio
nem facit, ita exſiccetur, arida fiat
tabeſcat, corrugetur, atque indureſ
cat, ut exterior ejus ſuperficies re
ſpectu reliquæ ſubſtantiæ cruſtoſ
veluti appareat. Ita enim in quo-
dam, qui vivus neminem ſibi in Ta-
baci uſu parem exſtare haud, ut ſo-
cii atteſtabantur, immeritò gloria-
tus fuerat, poſt ſupplicium diſſecto
papillares cerebri proceſſus cum
nervorum odoratoriorum extremi-
tate prorſus defuiſſe, ita ut ne veſti-
gium quidem eorum reliquum eſſet,
hiſce oculis unà cum multis meo-
rum æqualium conſpeximus. Cau-
ſa hujus defectus à ſpectantium do-
ctioribus in vim fumi Tabacini om-
nia ſiccandi, exhauriendi, arefacien-
di, extenuandi, corrugandi, ac pro-
inde marcore quodam conſumendi
conferebatur. Sic etiam verè, extre-
mè, & deploratiſsime hæcticorum
cutis, ſi cum ſani ac ſucco pleni ho-
mi-

inis cute comparetur, crustæ poti-
; universo corpori inductæ quàm
:nuinę cutis speciem præ se ferre
debitur: Et in ardentissimis fe-
ibus membrana linguam exterius
volvens interdum ita sicca, arida,
ıbra, rugosa, ac dura persentitur,
crusta potius linguæ inducta,
ıam vera membrana esse appareat:
quia ipse fumus Tabaci insigniter
gricat, eundem suo indesinenter
centi contactu atque contagione
ædictam cerebri, aut capitis parti-
lam inficere ac denigrare posse, do-
t, ut alia omittam, eadem febri-
ıs ardentissimis laborantium lin-
ıa, quam sæpe à fumis, & vapori-
s febrilibus, exustis, fæculentis, &
gricantibus è corpore inferiore in
m exhalantibus insigniter nigres-
re conspicimus. Quod præterea
Te audio, eodem apud vulgum
more circumferri, fumo Tabaci
m exsiccandi nullam, aut exiguam,
esse, & eundem in cerebro in me-
m aquam, unde erat, concrescere,
que reverti: ac quemcunque hu-
orem Tabaci suffumigio utentibus
sta-

ſtatim per os, & nares, defluere, a
que expurgari videmus, eum ex ipſ
fumo ſolo condenſato materiam &
originem ſuam habere; præterea e-
undem fumum veram malignitaten
ac venoſitatem, frequenter mortife
ram, obtinere, adeo ut & virus, &
peſtis, & tartarei fumi nomen aud
at; hæc omnia mihi quidem non ſa
tis arrident; nam fumum Tabaci pe
ſe humectare, aut mere aqueam qua
litatem obtinere, ipſo ſenſu & expe
rientiâ abundè refellitur; pugnat
que cum eodem rumore ex diame-
tro, quem eidem fumo aduſtam, &
fœdam acrimoniam, itemque un
ctuoſitatem quandam, & pinguedi
nem attribuere mihi narras. Cere
brum metropolim, & fontem eſſe e
juſmodi pituitoſorum aquoſorum
que humorum, quales Tabaci fumo
utentibus excernuntur, pluſquam no
tiſſimum eſt. Iam verò ſi fumus ipſe
& ſolus, materia eſt eorum humorum
qui per palatum, & nares defluunt
cur, quæſo, iidem humores non per-
inde ut fumus ipſe nigricant? cur eâ-
dem acrimoniâ, ceteriſque qualita
tibus

ibus iisdem non excellunt? cur sub-
tantię unctuositatem, & pinguedi-
iem, quę aliquando igne accendi
ossit, non obtinent? Cur excer-
untur copiâ seu quanttate ita e-
ormiter majori, quam est ipsa
uantitas seu copia earum Tabaci
artium, quæcumque in fumum, qui
auritur, resolvuntur? Inesse fateor
Tabaci fumo vim quandam multis
dversam, à qua natura recte insti-
uta, beneque temperata merito ab-
orret: sed eandem vere malignam,
enenatam, ac deleteriam non esse
ot millia hominum tamque sæpe,
c diu Tabaci fumo sine ullo vene-
i signo aut symptomate utentes
leno ore clamabunt. Hæc paucu-
, rudia, informia, Vir Ornatisme,
ilotico calamo festinanter ad Te
ribere per otium licuit; quæ tu po-
to, sagaci. ac limatisimo judicio
Tuo dijudices, altius perpendas, at-
ue expolias; & si in illis mica salis
uere, & Vale.

T. V. ad prompta servitia paratiss.
HADRIANVS FALC-
KENBVRGIVS *Med.*

I V-

IVDICIVM I. NEANDRI
DE TABACI DELECTV, CORRECTIONE, AC SOPHISTICATIONE.

QVOD commune eſt omnibus medicamentis, ut aliis locis, aliiſve temporibus, majore minoreve ſolertia collecta, recondita, cuſtodita, præparata præſtantiora aut viliora habeantur, idem & Nicotianæ contingere ſciendum eſt. Sed cum de loco ac tempore, quantum ad ipſius herbæ culturam collectionemque attinere putabamus; diligentius etiā de præparatione ipſa, utpote in qua cardo rei verſatur, ſuo loco à nobis actum ſit, ſupereſſe videtur illud ſolummodo, ut ex quibus regionibus ad nos potiſsimum tranſvehatur Nicotiana ſuperioribus addamus; quo Tabaci delectus aliquis etiam ſecundum regiones ipſas haberi poſsit. Quare cum non omnis ferat omnia tellus, cum hic ſegetes, illinc veniant felicius uvæ, ut ille ait, aliis item locis rectius præparari ſoleant medicamenta, vel minus ſophoſticari ac vitiari mercatorum

rum perfidia, quis dubitet in ipso etiam Tabaco multos inesse bonitatis, ut sic dixerim, gradus? Adfertur ad nos ex utraque India, tum Orientali, tum Occidentali, ex Insulis & continenti, ex Hispania similiter, quin & nostris in regionibus provenit; transvehitur hinc tum in alias Orbis regiones, tum potissimum Constantinopolim, atque in diversos Turcici Imperii tractus. Indicem suo loco descripsimus multarum, ac fere omnium Tabaci differentiarum apud Mercatores. De quibus tantum mihi non sumam, ut pronunciare ausim, quodnam primo, secundo, tertiove gradu collocandum sit. Sufficiat aliis viam aperiisse, si qui forte curiosius in eam rem voluerint jucumbere. Hoc tantum addam, Virginiensis Tabaci genus illud optimum judicari, quod corrupto vocabulo nostrates Virinum seu Varinium, appellant, etsi errore nominis inducantur ut existiment Virinum aliud esse à Virginiensi vel nobiliorem saltem ejus speciem, cum re ipsa idem sit Virinum ac Virginiense, neque ab eo differat nisi sola nominis ab Anglis opinor derivata corruptione. Licet au- Variins.

 tem

tem & artis beneficio Nicotianam emendare. Solent nonnulli piper, aliaque calida evanido addere Tabaco, quo fiat acrius; sed hæc partim insulsa & rustica videtur præparatio partim ejusmodi ut per eam tantum facultatibus ipsius genuinis decedat, quantum accedit acrimoniæ. Omitto & alias ejus farinæ præparationes: unam subnectam faciamque publici juris quæ mihi non exigua constitit molestia, ut ejus compes fierem.

Recip. Muriæ limonum
Aceti vini an. lib. j. ſ.
Syrupi convenient. lib. ſ.
Folior. Tabac. dissolut. drag. iij.
coquantur ad dimidias.

in colaturam calentem, atque etiamnum fervori proximam Tabacum immittatur, & mox conglomeretur. Iusculi hujus ea vis est, ut non modo optimæ notæ Tabacum nulla ratione vitiet, sed & illud ipsum adversus situm, aliasque temporis rerum edacis injurias præservet. Fit hac præparatione, ut per integros annos incorruptum servetur: sed & eadem evanida Nicotia-

næ

ne vis quasi revocatur, renovaturque, & restituitur in pristinum Naturæ suæ statum: adeo quidem ut si eo usque processerit Tabaci corruptio ut incendium continere recuset, quod fit cum extreme vitiarum fuerit hoc artificio emendari posit, & Capnophilis non exigua fieri fraus. Sed ne ad fucum faciendum, ac perfidiam caupones invitare alicui videar, non hercle hoc artificium, nisi in aurem, & Græce tibi dixero. Πρὸς τὴν περιειρεμένην δεκόνταν ἐπίθες εὐφορβ. δραχμὰς β. καὶ εἰς αὐτὴν τὸ Ταβακὸν πρὸς τὸ πέψιν ἔμβαλλε. Hæc tibi serva.

F I N I S.

MISOCAPNUS,

SIVE

DE ABUSU TOBACCI

Lusus Regius.



VLTRAIECTI,
Pro DAVIDE ab HOOGENHUYSEN
Anno cIↃ IↃ c XLIV.

PRÆFATIO.

NVllum est, humanum corpus, Cives charis-
simi, sic temperatum ut omnis morbi suspi-
cione aut seminio vacet, nec ullius Reip. quan-
tumvis fœlicis compages sine vitio vel vitii ma-
teria firmata fuit. Quo minus mirum est nostram
hanc Rempublicam, divitiis licet & pace floren-
tem, communi tamen cæterarum fato suis ægri-
tudinibus affligi. Populus sumus, si quis alius,
summa charitate & observantia in Principem: at
temerè seduci nos rebellioneque concitari non in-
comperta res est. In bello fortitudo nostra, in pa-
ce obsequium in Principem nobis aureum hoc quo
fruimur sæculum dederunt. hinc opum affluentia,
exque opibus & pace nata voluptatum mollities;
nimis illa nota maximorum imperiorum calami-
tas. Clerus otio solutus, nobilitas deliciis, juris-
peritos avaritia, plebem census profusio & cu-
riositas transversos egere. universis incessit rei
privatæ nimia cura, neglectus publicæ.

Regem hîc decet, politici corporis Achia-
trum, peccantis materiæ varietatem idoneis edu-
cere catharticis; nempe auctoritatis mansuetudi-
ne publicam fovere concordiam: seditionibus ob-
viam ire: sua & comitum frugalitate luxum
hunc vestiendi profligare: deliciarumque pudo-
rem civibus exprimere: in pace belli umbram per

 armo-

armorum exercitia instaurare: suis vigiliis Ecclesiæ veternum excutere: fori largitiones & corruptelas pœnarum acie præcidere: ad summam, nepotes ad frugem reducere: & legum minis sensim (nec enim unius diei opus fuerit) vitiorum radices convellere.

Sed ut in animantium genere non minus formica censetur, quàm elephas; avisque nomen sic regaliolus meretur, ut cygnus; & odontalgia levissima morbi notionem cum pestilentia habet communem: sic in civitatibus leviora quoq; illa pro vitiis habenda, ad quorum tenuitatem nec Regis nec legis descendat auctoritas. quilibet è populo hîc medicus fiat, ubi omnis curatio erroris indicio & dissuasionis virtute absolvitur. Et cùm meo quidem judicio nihil ullibi gentium sit corruptius crebro hoc Tabacci usu, qui apud nos invaluit, absurdum morem scriptiuncula hac perstringere non putavi ab otio meo alienum. Si cui paulò abjectius hoc argumentum videbitur, sciat operam quoque nostram nihil minus esse quàm seriam. de fumo dissertatio est qui vel dormientis spiritu dissipetur. Nihil hîc exspecto majus, quam ut legentibus constent rationũ mearũ momenta: ut persuadeã optare magis possum, quàm sperare. Vnicum id laboro, charissimi cives, ut ex levioribus hisce nostrũ in serii affectũ æstimetis, nullis scilicet nos laboribus parcere, queis vestra commoda fælicitatemq; provehamus. Valete.

MISO-

MISOCAPNVS, SEV LVSVS REGIVS DE ABVSV TOBACCI.

QVO manifeſtior evadat fumoſæ hujus conſuetudinis vilitas, detegenda ejus infantia eſt quibuſque de cauſis primitus; in noſtros mores regionéſque invecta ſit. Vt enim apud æquos prudentéſque rerum æſtimatores laudem ſuo jure merentur inſtituta, quibus cauſam præbuerunt honeſtas, pietas, neceſſitas; initia verò dederunt viri graves, probitate & prudentia conſpicui: ſic merito infamiæ ſtigmate notantur illa, quę ex turpitudine coorta, à barbaris profecta, ſola novitatis affectatione invaluerunt. Ignobilis origo Tobaccum agreſtibus hominibus notum fecit, & inter nos deinceps publicavit. Pro naſcendi locis varia ſunt herbæ nomina: pleríſque Americæ populis vulgari Tobacci appellatione celebratur. Conſtat hos & torrente cęli po-

ſitu, & aduſta corporis conſtitutione facilè venerea lue tentari; & Tobacci accenſi nidore uti pro familiari antidoto. Poſtquam ab his nonnulli in Europam hac lue infecti redierunt, ne non ſatis eſſet dirę ægritudinis contagio Chriſtianum orbem polluere, tetrum quoque ſuffumigium hoc communicarunt, ut utriúſque veneni auctores unum, ſcilicet, altero expellerent.

Nunc cogitate, cives, an deceat in re deteſtanda Barbarorum ſimios fieri nos, cum nec in Gallorum mores dignemur tranſire, qui primi Chriſtianum regnum habuere: nec Hiſpanorum elatiores animos feramus, quos Turcicę magnitudinis æmulos non immeritò dixeris. huccine demum redeat diuturna Britannię pax omnibus fortunæ bonis affluens, & militaris noſtra gloria vicinorum patrocinio toties probata nunquam alienę opis indiga? huccine exuto pudore rędeat civilitas noſtra, Americæ fera pecora, Hiſpanorum mancipia, pro magiſtris morum accipere? ſi his pædagogis ſape-

ſapere diſcendum eſt, cur non plumas auro, & fracta vitra gemmis anteponimus? cur non horum exemplo incedentes nudi Diabolum adoramus? cur nõ cætera amplectimur inſcitiæ inſtituta, quæ barbaries inſipientibus perſuaſit?

De corruptiſſimi moris initiis ſic res habet: non ita pridem apud nos obtinuit: in recenti memoria eſt parens ejus: tum quibus technis hanc miſeriam introduxerit. Sufficiat ſcire nec victorem victis injunxiſſe, nec Regem ſanxiſſe, nec medicum conſuluiſſe: ſed ignoti orbis nuncium cum tribus barbaris, & barbaræ hujus mercis diſciplina huc appuliſſe. Barbaros brevi mors oppreſſit, mos barbarus etiamnum vivit, vigétq;, quo magis mihi mirũ videtur, tam gratum hactenus manſiſſe ab auctore parum grato, & causâ tam pudendâ. Illud perſuaſum habeo nunquam hauſturos fuiſſe noſtrates hunc fumum, ſi illis hauriendi cauſa apud barbaros innotuiſſet: nec enim uſu remedii ſe morbi ſuſpicione infamaſſent, cum conſtet ſa-

nis non esse opus medico, nec alexipharmaca usurpari ubi nullus est veneni metus.

Cæterùm, quia deprehenduntur nonnullæ consuetudines laudabiles & probæ, quæ ab initio temerè levique de causa invectæ sunt; proxima erit cura ostendere, tam damnosum esse nobis Tobacci usum, quàm turpis erat ejus origo. quod ut commodius efficiatur, recognoscite mecum, quæso, tum quibus à principio incitamentis in ejus amorem fueritis illecti: tum quanto ad cæteros mortales ludibrio, & ad Deum offensâ ejus usum nunc frequentetis.

Sufficiet autem quatuor credulitatis vestræ fundamenta examinare. bina quidem fallaci rationis specie; totidem apparentis experientiæ nixa imposturis. Primò igitur certissimum hoc substernitis Physiologiæ vestræ principium, *cerebro suapte natura frigido & humido calida & sicca maximè convenire, è quorum numero cum faciatis hujus fumi graveolentiam continuò evincitis Tobaccum, siquid aliud, cerebro esse amicum.*

Hic

Hic primus eſt inſcitiæ clypeus, paralogiſmus ex ambabus præmiſſis falſis. Nam ſi cerebri natura in humido & frigido poſita eſt; inſulsè colligitur calida illi & ſicca, contraria nimirum, competere, uti enim ſua homini conſtat ſanitas conſtante nativo corporis temperamento (qualia quatuor ſtatuuntur quatuor mundi elementis reſpondentia) ita organis quoque ipſis ſua quædam ineſt temperies, pro varietate actionum quibus obeundis ſunt deſtinata; ut ex partium temperamento non uno craſis totius unica, velut è ſonorum diverſitate harmonia, oriatur. Iam ut paralogiſmo obviam eamus, naturalis ſingularum partium temperies ſimilia exigit non contraria ſubſidia, niſi actiones illius impedire & ſanitatem totius lædere decreveris. Tanquam ſi hepati, calenti ſanguinis officinę, ventriculi camino, plumbi laminam pro emplaſtro applicares, cujus frigore calidam illius conſtitutionem juvares, brevi proſpiceres homini, ne gulæ vitio vel conſcientiam vel patrimonium

nium nimis læderet. aut ſi pondus è regione cordis ſuſpenderes palpitationi coercendę; quia vitali ſpiritu turgidum nullam facit motus pauſam; noxam pectori afferres, non cordi auxilium. Par eſt omnino in cerebro judicium, cujus conſtitutionem frigidam & humidam rebus calidis & ſiccis non promoveres, ſed everteres; ſeu odores immitteres, ſeu fomenta apponeres, quid enim aliud cerebro exſiccato incalfactóq; expectes, niſi primò vigilias, deinde phrenidem, quùm nonniſi è miti humoris frigoriſque conjugio ſomnus oboriatur?

Hæc igitur eſt ſanitatis indoles, ut foveatur ſimilibùs, contrariis lædatur. at ſi debita ſui temperie corpus aut pars ejus aliqua exciderit, therapeutica methodus jure obtinuit, non ſimilia, quę morbum alant, ſed contraria, quæ expellant, adhiberi. hæc enim laboranti naturæ ſuppetias ferunt, dum morbi violentiam expugnant. quę niſi in morbo uſurpata naturam ipſam adverſa qualitate oppugnant. ita remediorum

rum usus absque morbo non est profanandus, quo pacto in hujus fumosi alexiterii haustu passim peccatur.

Quod ad Tobacci vires attinet (ut paralogismi assumptionem nunc excutiam) nego eas calore & siccitate censendas: sed magis venenosa qualitate, cui adjuncta est adusta & fœda acrimonia. si quis ejus cum humano temperamento antipathiam non sentit, ci olfactum aut nullum esse certum est, aut depravatum. Nec enim nuda odorum vehicula sunt nares, sed utilium noxiorùmque halituum incorrupti testes & nuncii; nisi fortè male affecto cerebro, primo sentiendi organo, per consensum & hæ partes præter naturam afficiantur. Vim exsiccantem fumo nullam esse aut exiguam inde licet colligere, quia fumus est, cujus natura, aquâ tenuior aëre crassior, quantum humori debeat, sui resolutione facilè indicat. nam cæterorum vaporum ingenio in aquam, unde erat, promptissimè revertitur: quemadmodum quæ ex terra, aqua mari vi so-

vi ſolis attrahuntur exhalationes in pluvias, rores, pruinas, aliáque id genus mutantur.

Alterum nunc argnmentum ſupereſt cujus ſpecie incauti capti ſunt. *per fumum hunc in cerebri ſinus ſubvectum pituitam reſolvi, & aquoſa ſtomachi excrementa educi; & (quod hinc ſequitur) abditos diſtillationum fontes, unde plurimæ in corpus humanum decurrunt ægritudines, ſiccari; ſive hoc caloris virtuti ſive nobili occultique nominis qualitati tribuendum ſit. hæc ita vera eſſe non aliunde magis diſces, quam oculorum experientia, quum ſtatim ab hauſto fumo præcipitatos ex ore videris pituitæ rivos.*

Verùm hujus ſophiſmatis vanitas vel ex illo ipſo, quem modo attigi, meteororũ adſcenſu deſcẽſuq; pateſcit namq; vapores è locis humidis in medium aëris orbem calore Solis ſublati primùm loci frigore concreſcunt in nubes, deinde in terras, unde erant levati, humoris pondere referũtur. ita putidiſſimi fumi volubilitas in cerebri cavitates, ut in carcerem, elati, nativo ventriculorum

fri-

frigore humoreque condensatur in liquidum virus, quod natura, fœditate pestis attonita, per palati canales statim ejectat. ita te expedis humoris molestia, sed quo stultè te ipse gravaveras. quod perinde est ac si adversus dolores colicos alimenta flatuosa commendares, quæ flatus non dissipant sed generant: aut sedandis passionibus nephriticis utere cibus viscidis, & calculosis; & cum multam in lotio arenam subsidere animadverteres, non illam materiæ morbi decisam, sed è cibis natam; in ejusmodi cibis unicum adversus calculum præsidium statueres.

Vidimus geminum rationis fucum, nunc totidem experientiæ imposturas detegamus. *Nunquam* (ajunt) *tanta constantia Tobacci usum celebrasset populus, nisi utentibus ipse successus probasset humanæ vitæ nihil esse hac herba salutarius.*

Verùm si hac ratione uti liceat, nihil apud ullam gentem tam delicum aut infame reperietur, cui non erit paratissima defensio, quàm sint mortalium animi ad novitatis studium

dium proclives, me tacente, ſatis conſtat, nec apud nos ignota res eſt. Si quis tranſmarinam veſtis formam huc apportet, hominem illum nauci & nihili eſſe neceſſe eſt, qui non è veſtigio imitabitur. hoc modo unius ſtultitia propagatur in omnes: nec commodo aut honeſto, ſed novitate ſola ducimur. Sic dominatur unicuique cæcus ſui amor, ex ſecreto alienæ vanitatis cóntagio. nec æqualibus noſtris pares videmur, niſi omnia eorum deliria æmulemur, quaſi tum demum magnarum rerum capaces, quùm nullum ineptiarum genus fuerit ſupra noſtram imitationem: quùm aliorum ſimii etiam cum noſtra pernicie facti ſumus. Si unus vel alter è præcipuis Academiarum noſtrarum Mathematicis mira ſibi diceret in ſupernis regionibus viſa phænomena; magis mirum foret, ſi non pleróſque è diſcipulis rerum nunquam viſarum reperiret oculatos teſtes. tam difficile eſt ingenii vel oculorum acumine cuiquam cedere. Quod igitur in pleriſque aliis fieri amat, quidni in riden-

ridenda Tobacci consuetudine idem accidisse putandum est, non judicii constantiâ, sed imitationis pertinaciâ apud Britannos invaluisse?

Restat adhuc ultimum adulterinæ experientiæ præsidium, quod priori imposturæ pro fulcro supponere tentarunt: *nempe hujus suffumigii salubritate plerisque hominibus varias ægritudines fuisse levatas: at neminem unquam inventum, cui ex illius usu noxa creata sit.*

Quo in argumento cum errore insignis conjuncta est absurditas. error est non causam sumere pro causa ut loquuntur Logici; & quòd fortè fortuna in vigore morbi quispiam hausto Tobacco melius habuerit sensimque convaluerit, sanitatem Tobacco acceptam ferre. potius ille ægritudinis suæ periodos nesciebat, quæ cum ad vigorem accessit aut ægrotantem extinguit, aut ad sanitatem inclinat. hæc sunt nempe olidissimi fumi miracula. Taceo rem auctoribus naturæ compertissimam viribus imaginationis, spirituum unione fulcientis naturam, non raro

mor-

morbos deleri. hinc in odontalgia & doloribus colicis AEſculapios quotidie habemus novos, calloſos agricolas, anus delitas, ſimplices ancillas. hi ſacram, ſcilicet, exhibent ægris antidotum, ſuiſque aut amicorum periculis notam "admittit credulitas" ſanat fiducia. Vides ut illis proſit ignoratio veri. ſic non causâ decepti ſuam Tobacco imputarunt ſanitatem, qui naturæ vi è morbo eluctati ſunt. At ſi quis hujus fumi malignitate exſpiraverit (quod adeo infrequens non eſt) tartareæ herbæ mors non adſcribitur. piaculum eſt ſalutarem illam panaceam infamare. alia igitur ęgritudine extinctus eſt. Quo circa furvi hujus nidoris patronos exoletis ſcortis non abſimiles judices, quibus impura multorum conſuetudo ad purgandos renes laudatiſsima habetur: at quot in ætatis flore venerea lue contabuerint, ad animum haudquaquam revocant. & Tricongii noſtri intemperantiâ anniſque debiles poculis ſibi æſtimant prorogari vitam, immemores prorſus, quàm multi ante

ante diem inter popinæ procellas vitę fecerint naufragium.

Hactenus errorem, nunc absurditatem argumenti protrahamus in lucem: *hircoso*, videlicet *suffitu hoc multiplices, imò contrarios humani corporis morbos persanatos*. quis credat tantas inesse fætori vires, quæ medicos quoque ipsos indubitata Physices principia dedoceant? iis semper persuasum fuit, nullum esse medicamenti genus omnibus simul corporis partibus amicum: nec injuria; nam si (ut ante innuimus) tanta est in singulis temperamenti varietas; quod calidis aut humidis prodesse intelligitur, id frigidis aut siccis obesse necesse est. & ut in urbium obsidionibus per eam mœnium partem tentatur irruptio, quam cæteris debilioremque hostis judicavit: sic quatiuntur morborum insultibus non omnia, sed maximè opportuna corporis nostri membra, & in ęgritudinem proclivia, dolore interea per sympathiam in cuncta serpente, qui per idiopathiam uni erat affixus. hic ad medici prudentiam

spe-

ſpectat, iis ſolum uti pharmacis, quæ morbo partique affectæ maximè convenire ratio & experientia perſuaſere, quæ ſi alieno aut membro aut morbo accommodaret, tantum noxæ daret abuſu quantum ligitimo uſu adferret levamenti. Quid quod circumſpecta medici curioſitas ad circumſtantias quoque deſcendit, rationem climatis, anni tempus, ægri naturam, ætatem, victum, robur, conſuetudinem, non neglectis Planetarum adſpectibus, & Lunæ motu? pro quarum rerum varietate diverſa pharmacia inſtituenda; ea, nempe, quam præſens circumſtantiarum concurſus poſcit. At melioris notæ Tobacco nihil ſimile: *omni tempore loco & morbo præſentiſsima eſt panacea. In capite & ſtomacho* (ſi Diis viſum eſt) *exſiccat diſtillationum alveos*: (ecce, adverſus catarrhos omnes cæleſte protherapeuticón) at ſi verum amamus, cerebrum marceſcit hoc veneno, & ventriculus ex pręcoce concoctione cruditatibus gravatur. pretererea *podagram belliſ-*

mè

mè ſugat & ſimul ac in antra cerebri tortuoſa emicuit nebula, vis ejus(mirabile dictu) *entheo ſalubritatis pondere in extimos pedum digitos decumbit.* audi cætera. *febres mitigat, orexin ciet, laſsitudinem minuit, ebrietatem adimit, ſomnum conciliat, ſomnolentiam excutit, intellectum acuit.* & fortè ſcabioſos Americæ nebulones lue Venerea exoneret: defæcatior eſt ejus in Britannia virtus. nec niſi generoſiorum morborum inſerviens propiæ. Quod ſi ut olim putore Tobiani piſcis, ſic Tobacci nidore (nam nihilo mitius olet) Diabolus poſſet in fugam conjici, nihil Papiſtis miraculorum mangonibus ad exorciſmos natura rerum creaſſet valentius.

Fingamus tamen quibuſdam morbis curandis non incommodè viroſum hunc ſuffitum adhiberi, an tamen citra temporum & perſonarum diſcrimina omnibus conveniet? an juvenibus optimè conſtitutis & validis comperietur ſaluber? medicinæ operatio non eſt ſine mutatione utentis, bene habentem tranſfert

fert à ſanitate, valetudinarium à morbo. eſt tempeſtivè adhibita naturæ laborantis ſubſidium, temere aut paſſim frequentata valetudinis robur etiam athleticum debilitat. Sed quid ego de medicamentis loquor? ſi quis alimentorum optima ſic deperiret, ut noſtrorum plerique Tobaccum; id eſt, inconſultò & paſſim ingereret; is & ventriculum labefaceret, & cerebrum gravaret, obfuſcatíſque ſpiritibus tandem gulæ mercedem lethargum inveniret. Hac debilitatis accerſita ignominia multi apud nos abſque hoc fædo halitu vitam acerbam ducunt. intermittere tantiſper nequeunt, quod perpetua illis in naturã vertit aſſuetudo. tam difficile eſt ab adulta ſtultitiæ voluptate feriari. Sic qui in popinis conſenuerunt brevem ſobrietatis uſuram ſine valetudinis periculo non ſuſtinent. adeo illis inimica eſt virtus, quibus ſola vitia nota ſunt. & quid mirum eſt veneno nutritis ciborum ſalubria eſſe pro venenis?

Satis opinor hircoſi folii patroci-

cini-

cinium subruimus, nunc cum quanta nequitia & dedecore Tobaccomania hęc conjuncta sit, expendemus.

Agmē ducat in hac insanię acię libido indomita. cujus reatus non ad unum tactus sensum pertinet, ad omnes diffunditur. Vestra in convictu urbanitas, in lupanari salacitas Tobacco ut cote acuitur. ejus desiderio languetis, ut populus Israeliticus AEgyptiarum coturnicum. Præterea ut ebrietas est radix omnium scelerum, ita ebrietatis ramus est inexplebilis hæc Tobacci sitis. vide, sodes, utriusque necessitudinem. Nobiles helluones, supraque vulgus potatorum famæ alis evecti, dulce illud & lene aspernantur vinum. spirituosum & acre sequuntur, quod cerebrum suæ præsentię statim commonefaciat, & invisæ sobrietatis torporem feriat. Tobaccophili nostri nihil magis in fumo affectant, quàm nidoris acrimoniam, quæ intimas narium cavernas quàm celerrimè pervadat, & cerebrum morsu non translatitio pervellat. Et ut in pri-

mo popinæ tyrocinio vix quiſquam prorſus ſe mancipat gulæ (nemo repente fuit turpiſſimus) ſed pedetentim cedit intemperantiæ illecebris : tum verò beluinæ emeritus militiæ majore cura ſobrietatem ſuam ſubmergit, quàm vir ſobrius ſitim reſtringuit : ita primùm inter putorem folii, pudorémque inſueti moris hærere ſolent, mox tanta pervicacia inhærent, ut citius à rebus chariſſimis, quàm ab hac mephiti ſe patiantur avelli. & hunc vecordiæ morbum in magicam ſanè illius herbę potentiam conferunt.

Acceſſit tertium hinc & maximum flagitium; in Regem & patriam (quorum ſaluti & dignitati fortunas, & ſi res poſcat, vitam pro victima debetis) inſignita nimis injuria. enervaſtis enim ſpontanea hac putredine vigorem animi, & robur corporis quondam athleticum emaſculaſtis : nec Iudaici jam iter Sabbathi abſque his deliciis duratis. emori vultis, ni puer è devio tugurio prunam ferat Tobacco accendendo. hæc una eſt ex laſſitudine deliquii

liquii veſtri curatio : quemadmodum fæminis hyſtericis vita fertur redire admoto naribus oleto. Ineptus habeatur miles algoris, vigiliæ, inediæ, impatiens: at quid de his in bello fiat qui Tobacci deſiderium ferre non valent? O rudes majores noſtros, quibus abſque hoc fumo vita tranſacta eſt! illi terra marique res maximas geſſerunt, debellarunt hoſtes, erexerunt trophæa: ſed caput beatitudinis Tobaccum ignorarunt. nec ex fictili tubo tanquam mamillâ fumum ſugere impoliti didicerunt. ea heroici ſæculi unica fuit labes. Quid ſi nunc in hoſticum facta excurſione nonnulli è Tobaccotrophis noſtris fumi ſtudio deflectentes ab agmine interciperentur? quis eorum interitu ingemiſceret? quis non riſu potius indignum viris infortunium exciperet? Periculoſa eſt huic populo, ſi cuiquam, conſuetudo quæ dediſci nequit. Meminerimus Perſarum Romanorumque imperia non alio magis quam luxuriæ voluptatemque vitio interiiſſe. Apud Americanos quoque ipſos vix

emptorem inveniet servus qui se Tobacco mancipavit. adeò ipsis auctoribus invisa est hęc mollities.

Quantopere autem patrimonia vestra, Generosi juvenes, hoc fumo dissipentur, testes erunt è vobis omni exceptione majores, qui in expensi codicem quotannis referre solent Tobacci pretium, argenti uncias mille & sexcentas. Quanto satius esset pecuniam non habere, quàm in hos usus insumere? Meminit historia hominis nequissimi Alexandro Severo familiaris, qui gratia Principis abutens multos nummis emungebat, se pro illis apud Cæsarem intercedere & postulata impetrare mentitus. itaque viridium lignorum fumo suffocatus est, Pręcone dicente, *fumo pereat qui fumum vendidit.* integra vix sylva sufficeret Britanniæ fumivendulis suffocandis.

At verò (ut de pravi moris vecordia ultimo loco dicamus) quid in mensa, illâ munditięque arâ, magis indecorum, quàm mucosos illos tubos circumferre, in convivantium ora ingratissimum fumum rejectare, cu-

are, cujus fætor aërem inficiat, cibos inquinet, ſtomachos averſantium evertat? fumus culinæ, quam triclinio aptior niſi & hic fumus unctuoſa pinguique fuligine culinam in vobis ſatis graphicè ſibi depingat. nigram ex concretis ſordibus cruſtam non ſemel in mortuis repertam anatomici teſtantur. Quod ſi de morum elegantia Diepenſes fęminæ cum hiſce fumivoris ad Iudicem venirent, litem proculdubio auferrent. Adeo invaluit hæc ſtultitia, ut viri cordati, ne ſingulares videantur, ſimul nunc inſanire, & inviſum morem unâ frequentare neceſſe habeant. quemadmodum duo illi Philoſophi pluviâ cum populo madeſcere cogebantur, vel ut ille allium invitus arroſit, qui in alieno halitu odorem ejus ferre nequibat. Quin eò deventum eſt, ut vix hoſpitem ſine Tobacco dapſilè putemus exceptum. Sine Tobacco nec medicina ulla valida eſt, nec ſodalitium ſuave. Quiſquis in dicace juvenum grege fuliginoſam à ſe amovet fiſtulam, quam fortè latrina pejus ode-

 rit.

rit, homo illepidus, & ne teruncio
quidem ęſtimetur; prorſus ut eſt in
gentibus ſeptentrionalibus illauda-
tus ille pitiſſandi mos. humanitas
Dominæ erga miniſtrum certiſſimo
probatur indicio, ſi fumantem de
manu fiſtulam miſero porrexerit.
Illa autem non vanitas dicenda ſed
divinę bonitatis contemptus, ſuavi-
tatem anhelitus, quæ nulla arte ac-
quiri poteſt nova, vel perdita reſti-
tui, hoc fætore ſcienter corrumpe-
re. quæ herbæ expertiſſima mali-
gnitas falſam de illa ſalubritatis o-
pinionem ſic refutat, ac ſi quis dice-
ret, virus putredinis cum virtute a-
lexiteria conjunctum. Sed tolera-
bilior foret, ſi penes mares ſolos
manſiſſet inſania. nunc & uxoribus
neceſſitas incumbit depravandi an-
helitus, ut olentes maritos ſimilitu-
dine fętoris ſuſtineant: ni faciant,
perpetuum illud maritalis ſentinæ
tormentum eſt ſuſtinendum.

Tandem igitur, ô Cives, ſiquis
pudor, rem inſanam abjicite, ortam
ex ignominia, receptam errore, fre-
quentatam ſtultitiâ: unde & ira Nu-

mi-

minis accenditur, corporis ſanitas atteritur, res familiais arroditur, dignitas gentis ſeneſcit domi, vileſcit foris: rem viſu turpem, olfactu inſuavem, cerebro noxiam, pulmonibus damnoſam: & ſi dicere liceat atri fumi nebulis tartareos vapores proximè repreſentantem.

FINIS.

HYMNUS TABACI,

AVTORE

Raphaële Thorio.



VLTRAIECTI,
Pro DAVIDE ab HOOGENHVYSEN
Anno clɔ Iɔ c XLIV.

LECTORI.

BIennium fere est, Amice Lector, ex quo venustissimum de Pæto opus, à quibusdam tamen, vel incuria vel potius inscitia, distortum, neque parva sui parte mutilum, in manus nostras incidit, quod cum plurimorum calculo approbaretur, & exquisitissimis quorundam se palatis approbasset, nullo modo diutius premendum nobis videbatur. Cæterum cum emendatius exemplar hactenus deesset, ab autore, licet nec de facie tum nobis noto, petere illud non erubui. Qui, ut est mirifice humanus, voto ac petitioni nostræ protinus subscripsit. Itaque exemplar, partim ad incudem revocatum, partim media plus parte au-

ctum, ad nos misit. Cui comites, festivitatis atque urbanitatis plenissimas, adjunxit. litteras nimirum: quas editioni huic si præfationis vice in ipso limine præmitterem, neque abs re neque abs argumento alienum me facturum arbitrabar. Absit enim, ut labores aliorum mihi putide adscribam: absit ut vel in mustaceo laureolam, vel gloriam ex fumo quæram. Autor operis est Raphaël Thorius, ut Medicus, si quisquam hodie, præclarus, ita & Poëta non vulgaris. Argumentum quidem leve ac ludicrum videtur, verum quod à tali Medico tractatum, non delectat modo sed & docet. Nisi si quis viro summo Fracastorio Siphyliden objicere audet, qui ex argumento prope infami famam sibi peperit: & talem quidem,

dem, qualem nec ex arte Medica, ſi eruditis fides hic habenda. niſi quod & ex eadem arte illud, cum qua feliciſsime poëſin junxit. Pæti originem acceptam Baccho, ferri hic videbis. quam appoſite, non poßunt; niſi fallor, ignorare, qui Plerumque alternis admiſcent pocula fumis. *Tu, Lector, fave operi ac fruere, &, ubi interiore Pæti nota animum ſubinde recreaveris, verſiculi iſtius memor eſto,*

Vſus habet laudem, crimen
abuſus habet.

LUD. à KINSCHOT.

RAPHA-

D. LUDOVICO
à KINSCHOT
S. P.

PRO tam inſperato bono gratias ago, ut poſſum, maximas, Vir Clariſs. non tibi tantum, ſed & viris magnis D. D. Rutgerſio & Heinſio, quod inter vos opipare ſum epulatus; non ut conviva ſolum; ſed etiam ut parochus. ſiquidem ex luſibus meis acceſſit aliquid veſtræ feſtivitati. Nunquam equidem ſperaveram tam dextrum in illo poëmatio Apollinem, ut talibus palatis placeret, nec ut ſedecim annorum ætatem ferret fœtus in auras temere projectus, non conſilio conceptus, non cura forma-

tus,

tus. Quando tamen bono ſuo fato tam amicos invenit ſuſceptores, non fraudabo illum ſui genii beneficio, nec vos veſtra expectatione. Immo vero liberalius agam cum liberalibus; adjuncto fratre juniore paulo curioſius compoſito. Vtrumque veſtro omnium arbitrio expono, & permitto. Edite in lucem, quando putatis placere poſſe. ſed editum fovete: patri, ut cœpiſtis, favete, & contra Catonum cenſuram defendite ludentem inter pueros ſenem. Quod autem rem aliis amicis negatam vobis concedo, rationes, fuerunt locus & perſonæ. Crimen hîc eſt internos eſſe Poëtam, nec ſani cerebri habetur qui poſt primam lanuginem

in Parnaſſo ſomniat. Vobis iſtic alia eſt ſententia, quibus placent Muſæ etiam cum ſua canitie. qui delirii accerſitum Sophoclē lectâ ejus tragœdiâ abſolvitis. Porro in hoc litterarum genere Reges cum ſitis, merito Iudicum partes ſuſtinetis, ut nemo auſit veſtris arbitriis derogare. Atque hoc me in periculoſa alea conſolatur, quod, quem ſemel veſtro calculo approbaveritis, nemo audebit condemnare. Tibi vero, Vir Prę-ſtantiſsime, iterum atque iterum gratias ago, quod de facie ignotum tam amicè compellaſti, quod me tuo amore dignum putaſti, quod denique fœtus miſelli curam ſubire dignaris. Vt referam, nil aliud poſſum,

quam

quam ut petitioni tuæ ſubſcribam, quod libens volens facio. Mitto igitur priorem Hymnum correctum: cui, adaucta ſupellectile, ſecundum adjunxi. Mallem utrumque inſcribi libri nomine, quam Hymni. Cæterum magis ſollicite excuſarem hujus operę levitatem, niſi argumentum cum arte mea conveniret. Vt ut ſit, nunquam pænitebit tantis auctoribus in ſcenam prodiiſſe. Epigramma tuum elegantiſsimum in fronte apparere gaudebo, ad operis & opificis ornamentum: qui tibi in hoc amicitiæ veſtibulo animum & manum in pignus æternę ſinceritatis porrigit. Vale. Londini XVIII. Febr. M. D. C XXV.

Omni-

Morbifugæ vires plantæ, miracula ſtirpis
Cælitus oſtenſæ, partes diducit in omnes
Thorius, *& primo fumos orditur ab ovo.*
Vos quibus ad Petum vigilanti ſtertere naſo
Fumigeriſque placet replere vaporibus auras,
Ore favete omnes cælo delabitur alto
Planta beata, udo non aſpernanda cerebro.
Scilicet in mediis habitat vis enthea fumis,
Et parvo ingentes clauduntur cortice vires.
Ludicra narrantur, ſed & hæc quoque ſeria ducunt,
Veraq; ſub ficto latitat ſapẽtia Pæto.

LUD: à KINSCHOT.

RAPHAELIS THORI
De
PÆTO ſeu TABACO

LIBER PRIMUS.

INnocuos calices, & amicam vatibus herbam,
Vimque datam folio: & læti miracula fumi
Aggredior. Tu qui cenſu decoratus Equeſtri
Virtutem titulis, titulos virtutibus ornas,
Antiquum & Phæbi nato promittis honorẽ,
Tu Paddæe fave: nec enim præſtantior alter
Morbifugæ varias vires agnoſcere plantæ,
Inq; tubo genitas haurire & reddere nubes.
Da puer accenſum ſelecto fictile Pæto,
Vt Phœbum ore bibam: quis enim ſine fumine Pæti
Digna canat Pæto, & tantis ſe comparet auſis?
Non inventa homini humanos adolevit in uſus
Nobilis herba patri ſed primum viſa Lyæo,
Cum madidus ſiccos thyrſo ſubduceret Indos,
Notuit, ad ſeros & claruit inde nepotes.

For-

Forte per æſtatem teſquis arentibus hoſtes
Norat in inſidiis meditari prælia Bacchus,
Arma jubet celereſque jugo ſubjungere Lynces,
Baſſaridaſque ſequi; Silenum accedere curris
Mandat, & in pugnā totis exardet habentis.
Pone ſequebantur lixæ, jumentaque multo
Tarda onere, & lentis congeſta viatica plauſtris,
Et claudus ſenio Sileni vector Aſellus:
Dumque volat furiata phalanx, inimicaque quærit
Agmina, par vaſtas & laſſa vagatur arenas,
Dira fames, urgetque ſitis, defectaque ſucco
Membra labant, deſunt ipſi ſua munera Baccho;
Amphora Sileni curru ſubverſa jacebat
Amplo exhauſta ſinu; ſitienti ambuſta dehiſcunt
Ora Seni, ardentes dum ducit hiatibus auras:
Mænades, & Satyri, multumque proterva juventus
Impatiens ſcrutatur aquas per viſcera terræ,
Nequicquam; de ſe tandem ſibi pocula quærunt,
Et ſalſum potant, quem dat veſica, liquorem;

Pocu-

Pocula ſpurca nimis ; ſed & hæc quoque pocula deſunt
Increſcenti ſiti, venis & deficit humor.
Spes tum acciſa omnis, facieſque miſerrima rerum
Apparet ; toſtas alii de faucibus atris
Exhalant animas : alii permutua fundunt
Vulnera, quem rapiant ante ultima fata, cruorem.
Iamque acies moribunda cadit, quum valle remota
Eminus obſcuri facies confuſa vireti
Viſibus occurrit dubiis : tumque Evius altum
Inclamans ; duremus, ait, tantiſper in armis
O Socii, optatam vicina in valle ſalutem
Aſpicio : hic lentos toto conamine greſſus
Accelerant, renuuntque mori, venaſque ſupremo
Sanguine manantes, animæ ſpiracula claudunt,
Vtque propinquabant, altis ſe prodit opacum
Stipitibus nemus, & foliis ſpectabile vaſtis.
Euge ! meis, clamat, cognatam vitibus herbam
Agnoſco, munuſque Deûm. ſed plura volenti
Surda manus, latas tenero de caudice frondes

Carpit, & ignoto latrantia viscera succo
Demulcet; viridis stillat sub dentibus humor.
Non tamen oblatas Sileni provida virtus
Præcipiti vorat ore dapes, sed cautior usu
Hæret ab exemplo documenta abstemius optans.
Nec mora: quis patulis lateat sub frondibus error,
Eventus docuit: totis (mirabile) castris
Evomitur, caditurque velut cum gurgite pleno
Ingruit admissi miranda potentia Bacchi;
Volvitur in gyrum tellus, cœlumque videtur
Nubibus adductis surgenti occurrere terræ:
Tum sopor obrepit, somnique invicta cupido
Germanam dubia presagit imagine mortem;
Capripedes mediis diffusos stertere arenis
Cernere erat, disiecta solo defessa furentum
Membra Mimallonidum devota jacere sepulcro.
Mox ubi discusso longi languore veterni
Plenior ex adytis in singula membra recurrit
Spiritus, amissæ redierunt corpore vires
Surgere tunc alacres, pedibusque insistere firmis,

Et fulgere oculis, thyrſumque vibrare lacertis
Fortibus, abſenteſque laceſſere vocibus hoſtes.
Attonitus monſtro, non huc ſine numine, amici,
Appulimus, Silenus ait: nec Dona Deorum
Deſpicite, ingenitas vires, nec nomina Bacchi,
Nec pudeat certa ſalvos à morte fateri
Cælitus oſtenſo vitam debere Tabaco:
Adveniſſet enim languentibus integer hoſtis,
Victa ſiti manus hæc cecidiſſet victima ferro,
Tinctaque veniſſet victoria ſanguine nullo;
Nunc veniat, validaſque manus, animoſque viriles
Sentiat, &, ſi mens ſuadet, fera prælia tentet:
Sed rationis opus; ſuperum nec munera cæco
Contemeranda uſu. ſi quid ſapit iſta ſenectus,
Viribus eximiis permiſtum in ſtirpe venenum
Delitet: in ventrem virides ne mittite ſuccos,
Mandite nec folia ingeſtis confuſa ſalivis:

Vi-

Virus inest crudis : æstivo Sole recocta
Credibile est tutos præbere halatibus haustus ;
Nec ventri, at cerebro. (si tecta evolvere fas est)
Pabula grata reor, subtilibus eruta fumis.
Quare agite, ò juvenes, tam digni muneris aptos
Ingenio, & rapidis extundite mentibus usus.
Dux ego vester ero ; quid mens dictaverit, omnes
Accipite ; arentes prolixa uredine frondes
Comminui manibus jubeo, cannaquo reponi,
Protinus educto radiis solaribus igne
Contingi, & positis adversa parte labellis
Exsucti calidas nubes adducere fumi,
Ocyus ut possint cerebri pervadere flexus,
Vinosisque leves recreare vaporibus auras.
Dixerat: hinc Satyri teretes aptare cicutas;
Deciduas alii sicca suscedine frondes
Frangere : pars tubulos arsuro pulvere complet,
Pars stricto ore trahit (risumque sodalibus affert)
Pulvereum flumen, tussesque inducit iniquas.
Ipse pater fremitus vana & conamina risit
Igne carent, ignem votis ardentibus optant.

Ecce Senex densum, quod habebat mantica, vitrum,
Depromit, vafri inventum subtile Promothei
Furati æternas cœli de fornice flammas.
Hic latet ignis, ait: suscepto & Sole rotundum
Molliter acclivi depressum in vertice centri
Frondibus admovit Phœbo penetrabile vitrum.
Cuspidis in morem radiis concurritur, auctus
Inde calor sensim serpit, fomentaque circum
Arripit, & fumo vicinum nuntiat ignem.
Applaudunt Satyri, Faunique magistrum
Attollunt humeris, vocesque ad sidera tollunt;
Ipse cavam ante omnes accommodat ore cicutam,
Leniter adducit nebulæ mirabiles haustus,
Et ductos patulis fumos è naribus efflat.
Nec mora, permotus subita dulcedine, toto
Corpore diffusum sentit gestire vigorem,
Vt solet à noti fœcundo flumine Bacchi
Serpere paulatim non intellecta voluptas.
Ora madent: non falsa sitis, non vexat acerba
Esuries, vomitusve: levi vertigine tantum
Crura vacillare, & supremam udescere frontem

L Per-

Percipit, illæſus, ſed & hæc vaneſcere gaudet.
Tum vacuus denſa Pæti porrectus in umbra,
Omnigenium ut patuit fęcunda ſcientia rerum,
Dulcibus abſumit lentas ſermonibus horas,
Explicat ingentes opulentæ mentis acervos,
Ludenti & ſimilis Naturæ arcana recludit,
Implicitos memorat ſphęris cęleſtibus orbes,
Compagemque hominis, terræ & miracula pandit,
Addit & oraclis docti libamina fumi.
Fumantem ſequitur circum diffuſa juventus
Ipſa novis operata tubis, fumoque fragranti;
At rudis ore vomit naſo reddenda patente
Nubila cum multa tuſsi lacrymiſque jocoſis,
Ridicula, appreſsis animam quæ claudere labris
Neſcit, perque cavas iterum depellere nares;
Docta ſed exemplo grandęvum æquare magiſtrum
Efflando ſatagit, repletque vaporibus auras;
Dumque hilares animis læta vitulantur in herba,
Ecce venit feſſis longum expectata miniſtris

Anno-

Annona, & multo ferventia dolia vino.
Clamores geminant, verſiſque ad cantica cannis
Gaudia agunt, epuliſque favent, multumque vocatis
Iumentis, reducique ſenis gratantur Aſello:
Indulgent Cereri primo, tum Maſſica libant,
Viteaque admiſtis alternant pocula fumis,
Cuncta fremunt fumo, cantu, miſtiſque choræis,
Donec dulcem oculis fudit nox alta ſoporem.
Poſtera ut illuxit lætis aurora, ferique
Admonuit belli ſecuras pace phalanges,
Lenæus pater, & Sileni cana ſenectus
Extimulant, ſi quos feſtivi heſterna diei
Fregit Luxuries, animoſque hortatibus addunt.
Sat poclis, genioque datum; nunc prælia mentes
Sollicitant; poſitas aſſumite vultibus iras,
Et forte inſtanti dextras componite pugnæ,
Ne vigil incaute palantibus ingruat hoſtis
Et cadat ipſa ſuas cædes non ulta juventus.
Nec virtus equidem nobis incognita veſtra eſt,
O Socii, magnis neque non confidimus auſis,

Sed nocet ignavas quamvis contemnere turmas,
Securosque mali ignotis incedere terris.
Impavidi ergo animis sedato insiste gressu,
Neu mala nos iterum letho penuria mulctet,
Agmine composito lenti procedite, pæto
Non sine contrito, promptisque ad labra cicutis,
Et levibus fungis, servato & restibus igne;
Hoc animi surgent ad prælia, nubibus istis
Prodigiique nova specie terrebitur hostis.
Este viri, famam & factis sperate perennem.
Dixerat: assensum properant applausibus omnes,
Et sibi quisque suo stationem corpore servat.
Arduus in curru medio pater agmine Bacchus
Eminet, impexi tergo Silenus aselli
It comes, haud equidem bellax, nec idoneus armis,
At bonus eloquio, & subitis dare tuta periclis
Consilia: æquales utrimque excurrit in alas
Densa acies, hostemque animis pugnacibus optat;
Nec procul hostis abest: vicini vertice montis
Opposito emergit, summisque hastilibus extat.

Bassa-

Bassaridis calido fervescit pectore sanguis,
AEræa sistra manu quatiunt, & tympana pulsant,
Vino acuunt iras resides, haustoque Tabaco
Excludunt lethi faciem, suaque agmina circum
Nube tegunt atra: spirantes naribus ignem
Procedunt: medio glomeratur in æquore nimbus
Igne micans, tonitruque fero, fumoque stupendus.
Ostento attonitos subitus pavor occupat Indos,
Non homines sed furva rati de faucibus Orci
Numina, consternati animo certamen iniquum
Detrectant, trubibusque timent confligere monstris.
Pars fugit, & positis quærunt velocius armis,
Quam dare victoris mallet clementia, vitam;
Pars orat veniam, parere & jussa modestis
Imperiis patiente jugum cervice capessit;
Sed pudet erroris, stulta & formidine tactos
Extimuisse piget vani sufflamina fumi,
Libertate dolent serva; solatur at illos
Indulgentis heri condita lepore potestas,
Et victoris amor: simili discrimine victos

Victoresque videt bellis utrinque remissis
Vna dies miscere epulas, Bacchumque ciere;
Et simul alternis fumum potare cicutis;
Mirantur bona nata domi, nec nota queruntur,
Et nebulas animi jucundis nubibus arcent.
Atque hæc prima fuit mortales stirpis in usus
Notitia, hæc late noti cunabula fumi.
Iam quæ vis lateat plantæ, quibus apta bibendo
Corporibus, quibus & pugnet contraria morbis,
Musa refer, geniumque novo concede labori.
In primis non una subest natura stupendo
In folio; adversis dives virtutibus omnem
Exuperare fidem gaudet, stirpesque beatas
Provocat: hellebori robur, rheabarbara duras
Solvere nata alvos, facientem gaudia vitē;
Balsama vulneribus laudata, fabamque suillam,
Nepenthesque animi mulsum, gravidumque papaver.
Magna Dei virtus, quæ tot miracula rerum
Seminis exigui tantillo cortice clausit!

Quod

Quod licet haud ſuperet cineris, vel lævis arenæ
Fallentis digitum & numerantia lumina, molem,
Mox dabit ingentem frondoſo tegmine ſylvam,
Et certa in dubiis promet medicamina morbis.
Quod ſi quis tantas rimari indagine cauſas
Aggreditur, multum immani ſub pondere ſudet,
Seu diverſa Salis miræ ſubſtantia plantæ
Compoſitum eſſe dedit, multis & dotibus auxit,
Seu ſimplex variis obnoxia caſibus una
Materies alios pro mole & tempore vultus
Induit, atque aliter diſtincta in corpora regnat,
Naturæ latet in gremio, nec cernere pronum eſt.
Si tamen exemplis libeat velut indice filo
Ire per anfractus dubios errore viarum,
Inque ſibi ſimiles Totum diſſolvere partes,
Forſitan occurret, quo mens placata quieſcat,
Et ſi non verum, at veri illuſceſcat imago.
Quicquid ineſt rebus ſapidum, diſcernere guſtus

Quod valet, id ſalis omne ſolet de nomine dici;
At gemina eſt natura ſalis; vel funditus hæret
Corporeæ moli, ad ſuperas nec tollitur auras
Suppoſitis flammis, cineri ſed figitur acri;
Dictus & hinc fixus: levior vel ab igne ſolutus
In ſublime volat fumo ſubvectus amico,
Accreſcitque apici in morem fuliginis atræ;
Inde Sophis à re ſal ille volatilis audit.
Hic aliud memori occurrit ratione tenendum,
Viſcera quod terrę ſalibus prægnantia multis
Stirpibus innatis fæcunda alimenta miniſtrant,
Vt ſua cuique trahit proprium natura fluorem.
Fructibus hinc ſapor accedit, hinc floribus omnis
Spirat odor, retinentque ſui veſtigia ſucci.
At tellure latent penitis confuſa cavernis
Sulfurei, latices, nitri glacialis amaror,
Lethale arſenicum, flammis affine bitumen,
Argenti liquor in fædam reſolubilis auram,
Chalcantumque acidum, linguęque aſtrictor alumen,

At-

Atque alia innumeros factura elementa sapores.
Si quis jam excutiat prolixo carmine, de tot
Principiis, cui accepta ferat sua munera Pætum,
Comperiet tanto dignum sudore bitumen,
Cujus in eximia species supereminet herba,
Pingue, olidum, acre, tenax, nitro sublime volanti,
Ignis amans, crassaque ferens fuligine fumum.
His pictam in tabula quicunque caloribus herbam
Non videt, hunc oculis captum, & rationis egentem
Crediderim: qnid enim magis aspectabile? dextram
Trita oleo fædat, digitos & glutine viscat,
Et solidat crudum lento ferumine vulnus,
Sorditiem ulceribus salsugine terget amara,
Nec putrere sinit; sensum nam faucibus acrem
Impingit. longumque relinquit in ore calorem.
Latè fusus odor virosa vividus aura
Dissipat ignavum cerebro torpente veternum,

Siccat & illuviem eductis sternumine mucis.
Denique in aëreum flammis conversa vaporem
Fœta salis vivi, superasque volantis ad arces
Pervia spiritibus mentis capitolia scandens,
Supplementa nova exhaustis animalibus infert,
Atque hebetes subito restaurat acumine mentes.
Planta beata, decus terrarum, minus Olympi!
Non tantum agricolis duro lassata labore
Membra levas, minuis victus absentis amorem,
Fundis & absque cibo sparsas in corpora vires;
Sed radium specimenque Dei sapientibus ipsis
Ingenium illustras, si quando aut multa tenebras
Colligit ingluvies cerebro, aut molimine longo
Intellectus hiat, rerum neque concipit umbras,
Conceptasve tenet, vel cęca oblivia regnant;
Vt semel irrepsit blando lux indita fumo,
Aufugiunt nubes atræ, curæque tenaces,

Vis micat inventrix, demto velut obice
veli
Tota oculis animi patet ampli machina
mundi,
AEternæ species Naturæ ex ordine nexæ
Succedunt, redeuntque suis simulacra figu-
ris.
O quoties visus magna spectante corona
Orator populi cupidas dicturus ad aures
Contremuisse metu, docti sermonis acervos
Confudisse locis, lingua & siluisse rigenti,
Quum memor ex tantis opibus sopita facul-
tas
Nil daret in vocem, sed res & verba nega-
ret,
Si modo vel micam generosa è stirpe voras-
set
Fumanti tubulo, accenso seu lumine, sensim
Res reperisse suas, prendisse fugacia verba,
Thesaurosque animi populo exposuisse stu-
penti!
Si duo præterea Stagiræ in pulvere docto
Laudis amore novo, verive cupidine pulsi,
Pugnam agitant, verbis & digladiantur acu-
tis:
Omne animi intendunt robur, nervosque
fatigant
Nexibus impediant cautum ut subtilibus
hostem,

Aut validum incuſſo rationum pondere ſternant,
Stat circum pubes, pulcri & certaminis æquas
Arbiter ingenii æquales triumque lacertos
Mirantur, crebris vires applauſibus augent,
Tandem obtuſa acie, ut feſſis deferbuit ardor,
Lentior & validos inſultus lucta remiſit,
Sorbeat alteruter, ſacrum reſtetque vaporem,
Ilicet ut tactâ Antæus tellure, reſurgit
Firmor, exhauſtumque recens graſſatur in hoſtem:
Iejunius cadit, at ſequitur victoria potum,
Sin utrique placet nova de ſuffimine tela
Arripere, & calidam verbis producere pugnam:
Tum videas paribus momentis prælia ſæva
Eventu dubio in multam crudeſcere noctem;
Nec prius argutie diſcedere ab ictibus ambos,
Indefinitam abſcindant quam tædia litem
Iudicis incerti, palmæ cui præmia donet.
Sic quondam Iliaco cello par nobile fratrum
Aſclepii ſanguis Podalyrius atque Machaon
Fer-

Fertur ab Atride indictum certamen amicis
Suscepisse odiis plantæ de laudibus Indæ.
Damnabat Senior linguâ tenus intus amatam,
Dissimulans veros sermonis acumine sensus;
Iunior in fratrem jaculis ardentibus ibat,
Et pro dilecta pugnabat serius herba.
Cordatum ante tubam potarat uterque Tabacum,
Impiger ingenium præclaro accendere fumo;
Et mucronatis mentem gravidare sagittis.
Multa hinc inde agili vibrata hastila lingua,
Multa retorta iterum, crepero nec pausa duello
Vlla fuit nisi quam fumi dabat haustus amœni;
Vnde renascentes stabant ad prælia nervi,
Invictusque furor carum prosternere fratrem,
Donec inexhaustis crescentes viribus iras
Anticipem & litem sententia magna diremit
Regis inauditæ gaudentis honore palestræ:
Robore sic proprio ceciditque stetitque Tabacum.
Et nunc de fumo gravibus confligitur armis.
Vsque adeo nil scire datur dubitabile quod non.

In-

Ingenii faciat cita vis & gratia linguæ.
Sed me perplexi ingressum spineta Lycęi
Pensi alio textura vocat; quibus herba salubris
Principiis constet, vero mihi carmine dictum est.
Nunc quibus illa viris faveat, quibus illa resistat.
Quosque ferat, pellatque ægro de corpore morbos,
Expediam, simul ut calicem siccavero Pæti,
AEdibus & vacuis succreverit aucta supellex.

DE PÆTO

LIBER SECUNDUS.


Tollite vos ignem, tubulosque sat ætheris haustum est;
Dum calet ingenium, dum sensibus integra vivis
Versantur simulacra, fidem exolvamus amicis;
Odimus immemores; Mundum nec pascere fumo
Aggredimur, vanos aut ampullare per orsus:
Instat segnicies, & Phœbo invi'a senectus
Tristibus impallens curis divortia Cirrhæ
Man-

Mandat, & extremum Musis offerre laborem.
Dicite Pierides, domitis quæ gesserit Indis
Liber, ut immanes populos moderamine legum
Mollierit placidus, quernosque legionibus enses.
Et truculenta levi mutarit fercla Tabaco,
Vt mores, geniumque pater Silenus amænę
Stirpis, & innumeros ludens evolverit usus:
Forsitan hæc qui vos bifido de monte per æquor
Transtulit auratam Boreæ regnator in aulam,
Audiet, & tanto si non indigna parente
Funditis, innatum quanquam aversatur odorem,
Vestris perfusum violis, animaque suavi
Inter pulvillos variata mente reponet.
Vt sedit solio Victor, non tristibus armis
Sæviit in vitam vel opes, nec durus abactis
Indigenis statuit dominos, nec more tyranno
Optavit metui, metuit non ipse timentes;
Lenibus alloquiis, & majestate remissâ
Partus amor populi, facilis clementia mores

Eru-

Erudiit, glebamque jugo parere suasit.
Terra feris infamis erat, Lycesque, lupique,
Tigres & celeres pardi, mistique Leones,
Impune insidias pecorique virisque parabant.
Tollere nec cladem intentis in mutua bella
Cura fuit, major sed erat meliorque voluptas
Finitimos flammis vexare & cędibus ęgros,
Et coctos calidis hostes apponere mensis.
Non tulit immanem ingluviem, qui temperat æstus,
Sanguinis inque siti pacis suffundit amorem;
Vastitiem lustrare cupit, regesque cruentos
Visere, & ingenuas crassis dare mentibus artes.
Assumit numero è magno, quos indolis esse
Sciverat urbanæ, calicum sed largior usus
Vitaque liberior, nervisque inimica libido
Fecerat effætos, at nobilis aura Tabaci
Compositusque labor, cæliq; nitentior haustus
Sensim reddiderat reparatis viribus ægros.
Amphoriam, Balanumque legit, comemque Neandrum,
Jucundos comites, totidem quibus addit amœna.

Fron-

Fronte viros, luſcum Pelian, geniique ſagacis
Idmona cærulei ridendum tubere naſi,
Pauperis & barbę metuentem ſcommata Trullum.
Hærebat ſocii, & clam poſt terga ſubibat
Olim gratus aper, caſu ſed ſurdus iniquo
Non adeo, ut ſolitus, ſuavis comes, atque facetus,
Iuſſus abire manu, invitus ſub tecta redivit.
Regulus Hæmatoës, quo non truculentior alter
Vicinos capere, & captos prandere, tenebat
Non procul imperium vaſtis incluſus in antris,
Turpis ubi laniena fuit; juvenumque ſenumque
Corpora vincta jacent ſtabulis, pinguique polentâ
Ingratam cumulant in gaudia dira ſaginam:
Huc canibus, jaculiſque plagiſque ſequentibus omne
Cornicinum ſonitu & miſtis latratibus agmen
Vertit iter, nec longe aberat domus atra Tyranni,
Qualē Dis habitat: primo venientibus antri

Os.

Os immane patet; congeſtis oſſibus albet
Limen,& affixis apparent culmina tectis,
Conſitus ut ſcolymis horreſcit edulibus hortus:
Quum capita in ſquamas longis crevere medullis,
Forte dies genialis erat, Lapithæque repoſtis
Inſtruere altilibus convivia lauta parabant.
Agminis ad ſtrepitum cavea caput exerit Heros
Mulleus,& virides exponit vertice plumas:
Mox refugit viſis, venit alter, & alter, & antri
Interiora petunt, nec portam vecte parato
Claudere, nec miram meminere excludere gentem:
Dum tenet attonitos cæcus timor, ilicet Idmon
Primus in ignotos audet penetrare receſſus,
Cum cane naſuto; ſequitur mox cætera pubes
Palpans in tenebris, niſi qua per ſumma receptus
Tecta viam oſtendit ſub opaco lumine ſplendor,
Silenus medio, extremo tutiſſimus Evan:
Perveniunt tandem, ducit quo nidor, in aulam

Fer-

Ferventem fremitu, facies ubi dira culinæ
Perculit ingressos primo, plenique lebetes
Fumantum capitum, verubusque infixa colurnis
Multa virum femora, & stillantis lancibus armi;
Fœmineiq; coqui cinctis circum ilia peplis.
Non procul in clathris porcorum more jacebant.
Corpora dena virum festo servata propinquo,
Dum crescant adipes, lacrymis quos Liber obortis
Præterit. Hæmatoëm attenta dum nare molossi
Vestigat, penitoque latentem affatur in antro,
Surge miser, vultusque hominum consuesce tueri:
Venimus innocui, cædes nec cædibus istas
Vlcisci est animus; veniam donamus avitis
Ritibus, & placidos gerimus sine sanguine mores.
Si cruor est cordi, pugnandi & tanta libido,
Bella movete feris, armento arcete leones:
Parcite vicinis, turpes nec ventribus escas
Indite, nec fœdis postes ornate trophæis.
Non est illa lupis rabies: non tigride tigris
Paſ-

Paſcitur irato nec fit leo cęna leoni:
Tollite ferales epulas, & condite terra
Triſtes reliquias, dapibúſque fruamur honeſtis.
Ille nihil clarum; obſcuros modo gutture mittit
Grunitus, torvumque tuens, non ſponte monenti
Obſequitur, pavidoſque jubet parere clientes:
Tumque abit annona infelix, meliore parata
Succedunt verubus jucunda obſonio mundis.
Cervorumque ſuumque tori, leporeſque anateſque.
Venantum, & quicquid dederat labor.
Advolvuntur humi (nec enim conjungere menſas
Hora dabat) Bacchus primum vetuluſque magiſter,
Tertius Hæmatoës; nullo mox ordine ſeni
Procumbunt comites, tum picti terga ſodales.
Fata juvent; nunquam dextras junxiſſe fideles
Pæniteat (rex Liber ait) fœlicia ſint hæc
Fœderis incœpti primordia: ponite amici
Ritus

Ritus immundos, facilique assuescite vitæ:
Tuque adeo, subitos, aditus, nec libera, frater,
Condemna alloquia ingenui firmamen amoris;
Proderit hoc olim hospitum, nec vestra juventus
Vtile subsidium vitæ didicisse dolebit:
Hoc tu pignus habe, quo nullum sanctius optes.
Dixit, & undantem vino cratera recenti
mpiger exhaurit, secto quod palmite nuper
Arboris aëreæ repetitio effluxerat ictu,
Vtribus & plenis stabat prope: suscipit ingens
ellua, & epoto miserorum sanguine, tetram
Non prius aspectum nectar deturbat in alvum,
mittitque olidæ ructamina cruda popinæ.
ubrisit Pelias: narem compescuit Idmon;
uvius increpuit nutu, & sermone benigno

Non

Non bene constantis vultum firmavit a-
mici.
Eiage virum! ut vero placuit liquor? ille
subaudax.
Fronte supercilioque ad verticis ossa retra-
ctis,
Est bonus iste cruor, quocunque e gutture
fluxit;
Vix melior pueri imberbis. si quis mihi por-
ro
Prebiat, haud verear patinam sorbere secun-
dam.
Quod poscis dabitur: sed pocula jungere po-
clis
Et turpe & nocuum. nescis bone, qualis in isto
Sanguine sevitio est; proprie te discere damno
Non patiar. forte ex aliis sine crimine nosces.
Vt vero patrias crasse caligine mentis
Ignoratis opes! hebeti tam grata palato
Munera succiso de cortice sufficit arbos
Obvia, nec sumptu, multo nec emēda labore;
Sponte suos præbet lanianda securibus artus,
Fundit & æternos redivivis fontibus amnes:
Cedite, legitimos terræ bona vertite in usus,
Ducite nec pulcrum humanes pinguescere
venis,
Et terrę finibus serpentum more latentes
Luce, virisque procul naturæ extinguere lu-
men:
Sunt

Sunt vobis hominum vultus, ſunt pectora, nec mens
Degener, intrepidæque animis ad prælia vires.
Tot bona cur tumulo infoditis? de fronte character
Humana periit, nec quamvis ſanguine paſtis,
Sanguineus color eſt. tumido ſed luridus ore
Pallor ineſt, oculique latent, diſcrimina naſum
Nulla genáſque inter; facies veſica videtur:
Tempora nuda pilis, putri labra turgida tabo,
Et nigro trepidi promanant ſanguine dentes.
Vix animam trahitis, nervis attollere coſtas
Non datur, injecto ceu pondere pectus anhelat:
Eſt piger excuſſis genibus gradus, & dapis almæ
Nullus amor, ſed humi jumat edormire veternum.
Hanc ſitus, & nunquam ſoli nec pervia ventis
Antra dedere luem, ſpurcoq; obſonia ſucco;
At magis ira Deum menſis accenſa nefandis

Intu-

Intulit immundam resoluto robore pestem,
Et jam barbariem luitis, potumque cruorem
Redditis impuro, qui vos infecerat, ore,
Vt moniti queratis opē: sed nec bona vestra
Nec mala novistis; tantus stupor occupat ęgros.
Cernitis accēso prognatum pulvere fumum
Nare venire Senis velut exhalante camino?
Pulvis hic herba fuit: vobis vicina Tabaca
Nomine vix noto clarum dedit insula nomen.
Hinc finem sperate malis: tu cane Magister,
Cui natura parens rerum momenta suarum
Credidit. ingenium remedî percurre, modumque
Nec differ miseris optatam afflare salutem.
Hic, paulum tubulo amoto, flammaque moratus,
Magna jubes, dixit. si quæ tamen auribus istis
Digna putas, dicam; detur modo vita recensque
Libertas miseris, pedibus quos fune ligatis
Ægrotos stabulis in fœdo stramini vidi.
Annuit Pæmathoës, solvuntur vincula claudis,
Prorepunt geminis nixi, sua quique gerentes
Ore

Ore mala, & lucem veriti tetigiſſe ſupremam,
Vultibus obſcœnis lætâ ductantur in aulâ.
Non tenuit lacrymas vetulus Pater. Eja, ſodales
Vivite, ait; vitam meliori ar ducite fato:
Nam licet, & dabitur: latet iſto condita buxo
Veſtra ſalus, modo ſit ſervari certa voluntas.
Tu miſerande Senex, muriam pro ſanguine venis
Qui generas, cui crura labant luctante podagrâ,
Purpurei ſtillant, hebeteſque arctantur ocelli,
Cæcus eris, ſi ſpernis opem, ſed ab arte medelam
Sufficiam, & tumidis albo ſuffimine buccis
In pileum nebulam inſpirat. vultuſque ſeniles
Protinus includit junctis ad tempora limbis.
Excipit ore ſenex mordentes lumina fumos,
Et paritur juſſus ſpe conſolante dolorem,
Exrimit imbrem oculis, videt acrius omnia circum,
Plenius admiſſa deterſis luce feneſtris.
Atque poteſt adeo ſalebroſa in nare Magiſtri
Eminus extantes oculo numerare pyropos:

Namque rogatus uti in naſo quæ cerneret, & quot
Diceret, oſtendit digitos, &, fraga tot, inquit,
Aſpicio in noſtris naſcuntur qualia ſylvis.
Ilia concuſſit Vetulus, riſere ſodales.
Dignus es articulis ſine nodo: age ſugito, dixit,
Claude labrum, & laxis expira naribus auram:
Sugit, & expirat: ſed porro injuſſus, ut antrum
In gyros volvi, & turbari ructibus alvum
Senſit, humi recubans confertim cruda remittit
Fruſta, & multiplices, quas ante voraverat, offas.
En podagrę exitium: ſic fonte revellitur ipſo
Succus edax teneros rodens ſine dentibus artus.
Hoc bis agas, quum luna latet, cumque orbe recrevit
(Tum latebris turgent ſucci, tum mobilis humor)
Poſt lęves patinas, & prandia pinguis omaſi.
Sic ubi ciſternam illuvie, primamque cloacam

Ter-

Terſerit, humores ablatis fæcibus ibunt
Purius, articulis blanda, & ſine ſorditie acri
Nutrimenta fluent, quo nec fæcunda malignis
Relliquiis acidi pungentur acumine nitri,
Torta nec in duram concreſcent vincula cretam:
Tum levitate pedum Satyris certabis, & ipſas
Sponte tua poteris ſaltu ductare choreas.
Quod ſi pauca tamen ſalſæ veſtigia labis
Exuperant, hauſti blanda torpedine fumi
Vaneſcent, nec hebes ſenſus, velut ante dolebit.
Hac ope non podagrę tantum cruciamina ceſſant,
Sed porrò coli rabies, ſed volvulus atrox,
Gutturis & fœdæ tollens diſcrimina ſedis,
Et capitis clavus, & ſibilus auris adurens
Miteſcunt ſubito, nec poſt injuſſa recurrunt,
Si modo quis conſtanter amat, nec jurgia curat
Conjugis in fumum inſontem maledicta vomentis,
Oſcula quod vitiet, nitidas & conſpuat ędes.
Vir fuit antiquę fidei, nec moribus aſper,
AEquoreas habitans morboſo in littore ſedes
Labe nova infames; quos ceperat acre venenum,

Frendebant medio terebrati abdomine, mox ut
Repserat extremos morbi violentia in artus:
Tensa velut valido membra omnia fune rigebant,
Nec vis ulla super, nec motus ulla facultas
Ille malo arreptus, Phœbeas jugiter artes
Implorabat inops; dedit & medicamina Phœbus
Nequicquam. at solitis conatum lusit in herbis,
Donec inauditam melior fortuna medelam
Præbuit, & facili reparavit damna Tabaco.
Inde colit munus Divum, multosque per annos
Obtinet illæsam fumo constante salutem,
Cum prius incerto vitæ, tremulisque lacertis
Importuna lues, necdum superata rediret:
Nempe salis pungens acies obtusa sopore
Desiit in molles mucronem intendere nervos.
Sic ubi radicem dentis deterrimus humor
Vellicat, ardentemque inflavit tubere duro,
Qualem offert nucibus conclusis simia, buccam,
Fumus in os veniat, parvoque ut tempore clausus
Manserit, exemplo, gemitusque tumorque recedent.

Sic

Sic aliæ migrant afflicto è corpore pestes,
Quas mala conceptæ salsuginis aura creavit.
Labentes pluviæ sublimi è fornice tecti
In teneros folles, quibus insita flamma movendo
Vivit, & in numerum flatu modulante, fovetur,
Densatæ in media pendent regione, forasque
Ante, levis quam sit membrana arrosa, feruntur.
Quid referam tumidas fauces, laqueumque latentem,
Hellucum, & subitâ dubios vertigine gressus,
Clangosasque brevi minitantia flumina nares?
Omnia mulcentur fumo, si provida cura
Maturat, seras nec opem producit in horas.
Sunt, quibus occultis mordax contagio membris
Offecit, seu spurcities nitrosa canales
Raserit urinæ, vel apertum fæcibus anum:
Hinc quoque luctifico requiem sperate dolori
Qui matulæ ingemitis, qui clavos inter acutos
Horrida Caucasei depingitis ora Promethei.
Non ego vaticinor, Parnassi aut somnia fingo;

Nota loquor, quęque ipse prius crudelia sensi,
Quam facies Pæti mirandaque nota foret vis:
Namque (fatebor enim) luxu transacta juventus
Cum Baccho, Satyris, & suavi isto comitatu,
Hic illic vetulo rimas in corpore fecit,
Subjecitque malis, quæ magna est nosse voluptas,
Sanasse utilior, nostroque probata periclo
Certius in populi juvat usurpare salutem:
Sed quia par cura est tristes expellere morbos,
Et validos servare habitus, quæ cautio sanis,
Discite, quisve modus, nec enim omnibus omnia prosunt.
Oderunt alii natura, ut triste venenum,
Deficiuntque animo ad folii fumantis odorem,
Stulte alii damnant, novitas quia displicet omnis,
Quod sine Pæto atavi meliores stirpe sequenti
Concessum à superis egere salubriter ævum.
Abstineant ambo: nec enim pugnare decorum est
Naturæ, aut rectam invitis infundere mentem.
Si

Si quis amat, ſapienter amet, nec Simius alter
Conſilio, & ſine fine aliorum irrumpat in actus.
Sunt qui fumum ideo, ut potent tantummodo, potant,
Vrbanos inter ne non habeantur amœni,
Proſit ne an noceat ſibi ſus deque ferentes:
Ruſticus ille, maluſque pudor: nam vel juvat hauſtus,
Vel lædit. te ipſum noſcas, & idonea fumo
Corpora, ne ſero tandem tua damna queraris.

Si cui grande caput proſtanti fronte rotundum,
Lati humeri, pectus patulum, toroſaque membra,
Sub cute obeſa caro; pituitaque multa palato,
Is bibat impune, & repetito indulgeat hauſtu,
Si libet, & juſtos ſumendi reſpicit uſus:
Parcius attingant graciles, quibus ardua cervix,
Frons anguſta, caput minimum, præcordia preſſa,
Excarneſque genæ, & pauca mucagine nares.

Ollis ſpirituum ut brevis eſt annona cerebro,
Obruitur, facile conferti aſpergine fumi,
Haud ſecus ac nebulæ hyberni caligine ſolis.
Compoſiti validis biberint ſi largius æquo,
Occupat ignavos torpor, defeſſa quietem
Membra petunt, nervis velut ex ætate ſolutis,
Mane tremunt, altaque obeunt in luce ſoporem.
Quod ſi præterea roſeus color inficit ora,
Et ſubeunt tuſſes, & denſus anhelitus; illum
Ejurare tubos jubeæ, caroſque ſodales,
Ne redimat nocuos vitæ diſcrimine luſus.
Illi pulmo flagrat, putrive uligine turgens
Febrim corde fovet, lentoque abſolvitur igne.
Sed ſi tantus amor fumi, nec tendere contra
Vota libet, cæco ratio ſed cedit amori,
Bechion arentem ſumat, fumumque capeſſat,
Non metus hinc fuerit, ſed ſpes non vana ſalutis:
Nec moderatus enim accendit calor, at levis aura
Vlcera deſiccat, ſaniemque e pectore ducit.
Denique ſi qua vehit tectam cauſa abdita tabem,

Seu

Seu mala per totum diffusa injuria corpus,
Seu cita febris erit, læsi vel visceris æstus,
Ah! tibi ne tanti sit perniciosa voluptas.
Declina illecebras, & quamvis parcere durum,
Parce tamen, certæ & caveas auctaria cladis.
Est etiam quandoque, ut, qua data porta, subinde
Erumpat susdeque cruor, lethumque minetur,
Et vomitu ruat, & laxis fluat alvus habenis:
Quicquid contigerit, feralia pocula mitte,
Nec libeat nocuas immittere faucibus escas:
Sanguinis hinc fluvii crescunt, vomitusque ferocit,
Vitaque disiectis tandem cum fęcibus exit.
Iudicio hic sistor rationis tollere visus
Quod posui: nam si Pęti gravis herba soporat,
Et sopor excrementa tenet, damnatur inique
Quod juvat & laudem meruit, bene præmonet, inquam,
Quisquis is est, nodum usque dissolvisse pigebit:
Hunc ergo jubeo in mentem revocare, quod olim

Sanximus, adversas simul hic subsistere vires;
Nempe sale hinc stimulat naturam pellere tardam.
Ac veluti vivis pigram calcaribus urget:
Parte alia exhalans nebuloso sulfure somnos,
Sistit, & effusam facili compescit habenâ,
Ac velut indomitus sonipes juxta ilia fossus
Evolat, & fræno deinceps parere recusat;
Sic ubi depultrix validè movet, & retinendi
Vis labat, ut leviter tacta est, ruit impete multo,
Nec motam retinere leve est, nec tollere lapsam,
Et magis effluxisse nocet, quam clausa manere:
Vsque adeo multum est rerum momenta, modumque
Temporaque, & quæ sit cunctis natura, tenere:
Sic virtus viget ipsa, viget quoque corporis ætas,
Vtraque deliquio tandem nimíoque labascit.
Nil melius vino; vinum tamen omnibus æquo.

Non

Non datur in cyatho, nec ſugitur omnibus horis;
Immo etiam quandoque necat, quandoque furorem
Suſcitat, interdum rationem largior hauſtus
Obruit in ſpatium, quo mobilis orbita cœli
Volvitur, inque locum redit unde exiverat ante.
Solvitur interea ſtrictis niſi crapula vinclis,
Ebrius expirat, ſaltem expiraſſe putatur.
Haud procul exemplum: nuper Satyriſcus Adonis,
Dum tua feſta colit, rex ô Lenæe, ſepultus
Et vino & ſomno, ſub terram ut mortuus ivit;
Poſtridie effoſus vitæ manifeſta receptæ
Signa dedit, capite effracto, manibuſque cruentis.
At miſer adverſus mortem cubitoque genuque
Confligens, animam clauſa colliſerat arca.
Quid tam funeſtum noſtræ adverſarius arti
Objiciat? nulli, quantumvis multa, obeundi
Cauſa fuit, mentem nulli, quod conſtet, ademit:
Contra lætitia in magna, dum pocla ſalutis
Ordine diſcurrunt, ſi quis temerarius audet

Iura insana sequi calicum, pugnamque lacessit,
Ne titubet ratio, aut gressu titubante vacillet,
Arripiat tubulum, medicam intermisceat auram,
Surget inoffenso vultu, bene condita verba
Sobrius exponet, fumi dum nescia turba
Instabilis prodet vibrantes fronte lucernas,
Et gressu insolito dabit irrisoribus ansam.
Nempe tuus fumo, Bis-nate, retunditur ignis,
Mobilis & rabies blando torpore quiescit.
(Nec ferat invidiam quæ dat tibi copula laudem)
Non melius lapidi Herculeo Chalybumque metallo
Convenit, optatum quam quęrunt vina Tabaccum.
Sic operas pręstant inter se, junctaque multo
Nobilibus sapiunt, quam degustata seorsim.
Denique, mortales, quantum est, conducit in usus,
Nec quicquam, ut fuis, occisi, non utile; flammæ
Qui superat post fata cinis rubigine fœda
Defricat, & flavos facit excandescere dentes:

Fu-

Fumus & ipſe (novum auditu) conſiſtere juſſus
Paret, & emiſſus per conniventia labra,
Ore manu impreſſo, fulvum denſatur in unguem
Virginibus carum, quibus à ſerpigine longa
Prurit ſcabra manus, manantibus undique rimis;
Lævigat admotum, & ſplendorem inducit eburnum
Non ſine portento; nec parvo gratia conſtat.
Namque per arcanos penetrabilis aura meatus
Cor quatit, & ſtomachi vinculis utrimque ſolutis,
Æolium ventis ſubvertit olentibus utrem:
Sed vita incolumi, ridentibus affatim amicis,
Inde metus tutos, decus inde doloribus emptum.
Iam bona decerpſi: nunc ſi quæ incommoda ab uſu
Obveniunt, ſeu ſint vere, ſeu vera videntur,
Expediam, longa nec vos ambage morabor.
Inſimulatur enim, claræ quod mentis acumen
Obtundat, ſpecieſq; locis poſituque decenti

Con-

Confundat tenebris, & nigra oblivia ducat.
Crimen atrox; ſed quod vel prava calumnia finxit,
Vel bona ſimplicitas: non eſt, quia non potis eſſe:
Immortalis enim cum ſit mens, ortaque cœlo
Portio, corporeis non eſt obnoxia damnis.
Actio recta quidem, ſi læditur inſtrumentum,
Læditur ad tempus, causâ durante, ſed ipſa
Mens intacta manet, quanquam, ceu nubibus atris
Circumfuſa latet, radioſque occultat inertes.
Non aliter Phœbi quam lucida tela Dianæ
Intercepta globo, vel tegmine nubis opacæ,
Tempore non longo noſtris tolluntur ocellis;
Nec minus ipſe tamen ſincero candidus orbe
Ardet, & innumeris lucem communicat aſtris:
Sic animo nulla eſt, animi niſi crimine labes:
Deſidia, & luxus, levis inconſtantia, & ira
Ingenium obtundunt, lumen rationis inumbrant,
Permiſcentque notas tabulis, & nomina delent.

Qui-

Quilibet id meminit quod amat, crebroque revolvit.
Da mihi de multis fumi potoribus unum,
Creditor, aut plenæ cui ſint oblita crumenæ
Scrinia. deſponſæ vel notum limen amicæ,
Et dabo de fumi multis oſoribus octo,
Aut plures etiam, proprium cognomen, & acta
Heſterna, & patriæ oblitos elementa loquelæ.
Scilicet aut nocuum virus, vel peſtifer ignis,
Aut morbus ſubito ſumens à verbere nomen,
Aut nimium palpate Venus vergente ſenectâ
Læſerat officium cerebri, nec congener æthræ
Spiritus everſa poterat durare fabrina.
Quod ſi præſtanti folio ſuppreſſa periret
Vis reminiſcendi, cur tot prægnantia rebus
Pectora vaſtitiem quæſis e laudis amarent?
Qualia nota, quibus nihil ignoratur eorum,
Quæ callere licet, quibus eſt dilecta voluptas
Condere res animo, populique aſtante corona
Condita mente prius memori diffundere lingua?
At

At thalamos contriſtat iners, piger halitus, ipſe
Caſtior, abſtruſas partes qui faſcinat, agno.
Audio fœmineas voces; nam maſcula virtus
Laudarit potius rabidi ſufflamen amoris;
Non hodierna quidem infirmi querimonia ſexus;
Matronis odium eſt, ex quo Vulcania conjux
Frigore ſuſpectam gelidis certare cicutis
Inferri in Cyprum vetuit Cytherea Paphumque,
Bello nempe redux inter convivia Divum
Evius ut domitæ obtulerat nova gaudia terræ,
Iuppiter ante alios, & cum Iove Mulciber & Mars
Atlantiſque Nepos, & nectare plenus Apollo,
Fumivomis olidam ſimularant naribus AEtnam.
Ridebant novitate Deæ, ſed nocte ſopora
Offenſæ ſtatuere ſuo depellere cœlo
Theſſalicos ritus, vigileſque tenere maritos.
Ergo poſtridie ſimul ac fumoſa ſupellex
Prodit, prima Venus cœpti maniſeſta protervi

Involat in mercem ,buxumq; & pulverem, & ignem
Tam facilis Diva Superis mirantibus iras
Subversos pedibus summo deturbat Olympo.
Sic lasciva Cypris insaniit : at Iove nata
Bellatrix , nemorum Virgo , Pindique sorores
Sparsas relliquias gremio legere, patremque
Thyrsigerum obnixè nova supplementa rogarunt,
Subsidium & voto gratis retulere pudico.
Ingens opprobrium vero;si Cypridis æstum
Temperat , imperium menti , membrisque vigorem ,
Virtutumque decus rarâ virtute tuetur:
Non extinguit enim nymphææ aut cannabis instar
Naturæ instinctum ; sobolis nec munera tollit,
Fors numerum minuit ; sed fræno arctata Cupido
Quod demit numero , generis bonitate reponit.
Grande bonum,si vel tenuis fortuna parentum
Non premitur multa prole , aut respublica gaudet

For-

Fortibus & justis potius quam plebe frequenti,
Vtilis hinc adeo senibus, primæque juventę,
Frugalesque cado in summo sibi præstat, & imo,
Dum celeres flammas, cineresque subinde tepentes
Aut sedat subitò, aut ut fusa diluit unda,
Stultitia facili canos, pubemque furore,
Indeque prognata solvens vertigine Mundum.
Ne despecta tamen vestris prorsum exulet hortis
O dominæ! in duris, & habet sua commoda rebus.
Errantes uteros sursum transsepta ruentes,
Et tensum veluti ferientes ariete ventrem,
Si quando oppressus pulmo sublatus anhelat,
Deprimit, inque suas cogit descendere sedes
Ocyus, incumbens binum quam centurionum
Pondus, & impositi densissima sarcina plumbi
Porrò nulla seni, si vitea pocula demas,
Commodiora dedit mater bellaria tellus,
Seu servanda venit naturæ annona fovendo
Humorem ingenitum, suavem fundendo vaporem
Aren-

Arenti cerebro, pellendi aut ſenſibus hoſtes:
Namque aciem lippis acuit; cui ſtiria pendens
Naſum hebetat, reddit ſiccatâ nare ſagacem,
Diſſolvitque graves ventoſa ex aure ſuſurros,
In mentem, ut melius ſapientum dicta recondat,
Colloquiiſque diem moroſaque tædia fallat.
Quod ſi quis damnoſa luens delicta juventæ,
Nocte crucem ſcapulis geſtat, ſomnumque recuſat,
Hic quoque ſolamen quærat, requiemque labori;
Non tantũ ſopor in venas obrepet amicus,
Vnde dolor cedat, ſed, ne nox longa putetur,
Somnia pulcra dabit, rerum & ſpectacula viva
Offeret ante oculos. non qualia monſtra figurat
Torrida, bilis atrox, faba, lentes, cæpa, faſelus:
Allia, & altercum fatuum, manicumque ſolanum,
Si quis edit, medio in ſomno ſpectare putabit
Hor-

Horrendas facies, confuſaque ſæcla animantum,
Quæ nec ſunt, nec erunt, harpyas æquore nantes,
Aëre Centauros, fiſsâ tellure Draconum
Agmina, & ore nigro jaculantes Dæmonas ignem.
Quin etiam in ſubita ſibi tempeſtate videtur
AEquori ſorberi, & motis luctator in undis
Brachia anhelitus agit; celſa modo rupe volutus
In mare collabi, ſonitumque excire cadendo:
Latronum gladiis adigi, modo compede fracta
Adſpicit exertis inſurgere dentibus urſum,
Auxilium inclamat nonnunquam vocibus altis,
Interdum gemitu. donec formidine ſomnum
Excutiat, puncto necis experrectus in ipſo,
Exanimis, gelido perfuſus membra madore.
Longè aliter pictis nocturna aulæa figuris,

Le-

Lætificat noſtro eductus ſuffimine Morpheus,
Senſibus internis Naturæ congrua fingit
Privato & genio; quæ quiſque in mente revolvit
Luce vigil, vel amat, gratiſſima nocte recurrunt.
Aulicus, orator, medicus, mercator, agyrta,
Navita, piſcator, miles, auriga, poëta,
Agricola, & pictor, cerdo, patronus, amator,
Sopiti peragunt conſueta negotia, non ut
Sponte rudes cernunt dubitanti lumine formas,
Vel nuper natam per euntia nubila lunam,
Eſſe putant quodcunque vident. non ſegniter aurem
Incendunt dictis, atque enthymemata cudunt;
AEdificant verſus, clarè quos manè fatentur,
Atque alia expediunt alii, ne ſomnia credant
Eſſe, nec affinem morti, niſi nomine, ſomnum,

Non

Non lethæus enim eſt opii ſopor, omni ferreis
Interiora ligans, immota ut lege, catenis:
Non etiã ambiguæ turbatrix umbra cicutæ
Senſibus injiciens illuſis frivola vincla,
Quę nec mota tenent objectis membra figuris,
Nec penitus vigilare ſinunt: ſic altera Baucis
Et Philemon teneras cęnuti forte cicutas
Effoſas in agro, quas falſi ab imagine formæ
Crediderant ſiſer eſſe, aut notę Baucidis herbam,
Poſtquam feſſa humili poſuiſſent membrá grabato,
Nec vigiles, nec adhuc ſomni ſub pondere victi,
Exiliere toro; prior hæc, mox ille, vagatique
Atria per tugurî brumali nocte, rigentes,
Attoniti pariter, deliria mira ſtupentes,
Livida de trabibus retulerunt membra grabato:
At ſopitus homo claro ſpiramine Pæti
Gaudia pacificæ noctis tranſacta retractat,
Et vigil ad ſolitum redit æqua mente laborem,
Si modò laudatum fuerit, non vile, nec arte
Fictiti-

Fictitiumque dolis, namque omni electa Tabaco
Non eadem eſt bonitas: generoſum ab origine primæ
Aſperum erit, denſum folio, pullumque tuendo
Iucundum longè & latè diffundet odorem
Permiſtum viola, aut aura radicis Etruſcæ;
Incenſum referet guſtanti rite palato
Aſſyrium Aſphulton, cauti vel Caſtoris orchin:
Quod folio tenue eſt, Autumni frondibus ęquum
Quale in Virginia, & Bormudæ naſcitur arvis,
Abjicere, & aurigis fœnum, nautiſque relinque:
Pungit enim tunicas oculi, cerebrique volucra;
Qui bibet, ille graves ad opus mirabitur armos.
Pandiculator erit, malas diducet hiantes,
Et, niſi acuta fames ſtimulat, projectus ad ignem
Gaudebit ſeram ſtertendo adducere noctem.
Ante alios fugite ò Muſarum ſancta propago,
Qui veterum è chartis Sophiæ defoſſa metalla
Erui-

Eruitis vigiles, deprenſum per ſua ſigna
Profligate ſcelus mangorum; & tradite flammis.
Eſt qui delicias alieno ex orbe petitas
Captat adulterio, dum, quam *S*cytha fuſte peremit,
Miſcet odoratæ tabum ferale capellæ.
Stillam alius marathri jungit, vel pinguis aniſi,
Chalcanthive notam, quæ linguę affuſa ſaporem
Exhibet, ut Lybicæ mixta melligine cannæ;
Omnia damnoſe, ne dicam molliter: artem
Qui Naturæ adhibet, matris niſi conſulat ora,
Turbat opus, non addit opem: quod ſi tamen unquam
Laſcivire libet, laudique adjungere laudem,
Sumite lignum aloes, cujus levis aſſula pleno
Fixa tubo totum fragrans perſundet acervum,
Et cerebri ventres grato recreabit odore
Sed neque congeſtis dapibus conjungite fumos:
Inde coqui turbatur opus, ſi clauſa ſuperne
Oſtia pulſantur, tum ſemielixa deorſum
Fercula ſuccenſens mittit, quę didita chordis
*S*edi-

Seditionem alvo ventoſaque murmura miſcent,
Sudum animo & placitis populata laboribus horas.
Pernitioſum etiam nudato admittere frigus
Vertice, vel vacuo Pætum potare camino:
Verberat aura cutim, recluſa foramina ſtringens,
Trans galeam teneras convellit acumine fibras,
Et capiti pondus, horrorem crinibus addit:
Neu libeat ſolum calamo indulgere, nec ultra
Luxuriando modum cerebri complere cavernas;
Alternis ſumatur; amant alterna Camœnę,
Confertum natura fugit. tibi terminus eſto
Vertigo occipiens, quæ, ni ſimul orta recedit,
dhibe lene zythum, vel aperto ſub Iove frigus,
mnis & exigua ſedabitur arte tumultus.
t poſtquam capitis modulum cognoveris, intra
nes curre tuos, nec te quæſiveris ultra.
aturæ quiſquis ſervaverit ordine leges,
le mihi ſanus, ſapiens erit, atque beatus.

Talia ludebat Vetulus : narrantis ab ore
Heroum resupina cohors suspensa silebat,
Docta quidem vires, sed inops tam nobilis herbæ
Progeniem optabat, renovandi & seminis artem.
Blæsus at ille siti, somnoq; propinquior, uno,
Sed longo ut maduit, subito quoq; stertuit haustu.
Nos veniam fati, fessi licet, & sitibundi,
Absolvemus opus, & quæ Silenus omisit,
Summa Tabacophilis culturę arcana canemus.
Principio, ut messis respondeat ampla labori,
Sume medullosum generoso è germine semen,
Cui folium oblongum, crassum, nulloque pedunclo
Inseritur trunco, sed ab ipso stipite surgit.
Proxima cura loci; tam strenua planta recusat
Segne solum; felix animoso crescit in agro
Qualem vitis amat: colles, objectaque soli
Arva legas, ubi terra levis, non marga ligoni
Obvia, non argilla tenax, non obsita musco
Tesqua, nec impresso flentes sub vomere glebæ.

N

Ne tamen egregiæ quantumvis indolis agrum
Bis sere, si plenæ ducit te gloria messis.
Prima rapit fœtura animæ quodcunque virile est
Effœtaque uterum delumbem in matre relinquit.
Verte solum, sedesque novas adscribe quotannis
Hospiti inexpleto, fessis gratissima sulcis
Dum permissa quies pingui lætamine robur
Suppleat, exhausta & genium per viscera fundat.
Nactus argum urge operas; ne sit solertior alter
Ordine descriptis spatiis pertundere terram,
Ternaque vel plura in parvum dare grana foramen,
Divisa æquali ut vegetabilis aura tenore
Inserat æqualem folia inventura vigorem.
Quod si cassum aliquod fallit, vel cedit in escam
Muribus, aut rostro fodientibus omnia talpis,
Spes de relliquiis superet; si sospite turba
Densior ortus obest foliis, tabe'q; timetur,
Videris ut crebram tellure exurgere gentem,

Thrax esto, patriæ leges imitare severas,
Imminuas numerum, multisque è fratribus unum
Linque solo, vacua melius quo crescat in area,
Attrahat & plenum nutricis ab ubere succum:
Mox ubi pingue solum, longique in tempore soles
Luxuriem foliis dederint, in caudice robur,
Tempus erit terrę vicinas stringere frondes,
Major ut in summo claudatur cortice virtus,
Et ferat à justo bonitatis judice palmam.
At ne præcipites messem; ut nigrescere semen
Cœperit in calice, & folium mutare colorem,
Arma para, & cultros; vindemia nobilis instat,
Et merces operæ: luces optate serenas
Pæticolæ; nec enim folio minus officit imber,
Quam September obest maturis humidus uvis:
Tunc mete: dimidia est tibi jam decursa laboris
Meta; quod hinc restat, cura haud leviore gerendum:

Fru-

Fruſtra etenim ſtudium omne fuit, generiſque ſolique
Gloria, ni ſummo veniat ſpectabilis actu.
Hic duo ſollicito tibi ſunt curanda labore:
Abſumendus aquæ, genitor putredinis, humor,
Ne fimus è folio fiat, mox ſpiritus & vis
Ignea, quæ pingui velut abdita dormit olivo,
Excutienda, ſuos & deducenda per artus.
Ergo, ne æthercam Sol fervidus hauriat auram
Sub tecto, longa ſuſpenſa è cannabe paulum
Areſcant folia, & parvo poſt tempore ſtrata
Congere acervatim, calor ut collectus ab imo
Turgeat, & cæcas diſtendat ad extima vires.
ic cumulata tepent primo, tepefacta tumeſcunt,
Iox oritur ſudor, ſequitur nubecula fumi,
t, niſi deſtruitur moles, tranſibit in ignem,
t portata domum nondum ſatis arida plauſtris
ramina conſtipata flagrant, tectiſque minantur.
uq; diſterge ſtruem, ſuſpende, iterum repone

 In

In cumulos, seriemque tui pervade laboris,
Dum servendo animę veniat vis omnis in actum,
Siccando & maneat, neque diffundatur in auras.
Hic oculis opus, hic ductu rationis & usu:
Nam brevis est nimii, brevis est quoque linea pauci,
Et gaudet natura modo; sed si tamen usquam
Peccatum, ut possis culpam sarcire, docebo;
Non ardente mero, aut muriâ, non melle, minusque
Auxilio matulæ, mangonia qualia tentant
Caupones, pretii quibus est odorante salutem;
Subsidium ex ipso posces; prælo exprime succum
Vilibus è foliis, quę dextræ incuria passim
Præteriit, tepidaque sinas spumescere in ollâ,
Decrepitum immergas labro, reddesque juventæ.
Hæc sat erunt: jam quęre ratem: merx ampla coloni
Augebit census, & vectigalia regum,
Mercantum & loculos; naulum fortasse medenti
Auferet, autumnos populo factura salubres.

Forte

Forte etiam è furca donabit prandia corvis,
Cessator si pauper emit, meliusque locandas
Difflat egestatis vicinæ improvidus horas:
Sed pene dum modo sit frugalibus atque modestis,
Turba perire volens, pereat, quicunque salutem
Abnuit, is careat, nec rerum subruat usus.
Cui mala lis, ratis in pelago, præpostera conjux,
Aut dolor impatiens, nutans aut debitor æris
Eripiunt somnos oculis, animoque quietem;
Is faciles leni folio debere fatetur
Inducias, meritamque refert pro munere laudem:
Quotquot in adversum judex morosior æquo
Evomit ampullas, ventis mandamus, & undæ;
Orco devoveat, mox subventanea furvi
Dæmonis ova vocet, placando & idonea Diti,
Persephones mulsum, Furiarum thus & odorem,
Et de Cerbereâ germen lethale salivâ;
Ridemus titulos, & verba poëtica pleno
Gutture laudamus, similique reponimus arte.
 Si

Si quis amans veri nobis dissenserit: author
Consilii alterius, quod pectore claudit, in albo
Scribat, & hos sensus rectâ ratione refellat.

IN

In Paetologiam
Doctissimi
RAPH. THORII
D. M.
Amici intimi.

Quod jam summa procul villarum culmina fumant,
Quod fumos bibit omnis ager, bibit omnis ab Aula
Ad caulam fumosa domus, quod pascere fumos
Fumosos equitum cum Dictatore magistros,
Quod pueros fumare juvat, fumare puellas,
Mollius indignor. quin tecum ignosco puellis
Et pueris, aulis, caulis, equitumque Magistris,

Prime pater Pæti, fumantum gloria, THORI,
Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem
Cedule; Te prætore magis lippire decenter
Quam lachrima ridente putant; jucunda cuique
Te Medico tuſsis cui nec pituita moleſta eſt
Creditur inſtantes membris emungere morbos.
At mihi quod ſacra latet in vertigine multo
Præcipuum eſt; Hos te calices feciſſe diſertum:
Hæc aliquid certe fumo facundia debet.
Fæcundi calices, felix vertigo, ſaliva
Nobilis, inſignes lachrimæ, gratiſsima tuſsis.

Me

Me quoque, si parcè videor laudare merentes
Insolitas calicumq; super præconia laudes,
Me quoque vicinis afflatum credite fumis,
Et sicco titubare mero: brevis iste futurus
Est furor: exierit sensim vesania primi
Turbinis, aggrediar stabilis de nare tepenti
Fundere cum fumis qua vos per sæcula vectent
Verba vetentque mori; nolint Iovis ira vel ignes.
Pro fumi! sed & hic furor est; ignoscite vobis,
Fumosoque mihi: cessem fumare, taceboq
Sobrius, & sapiam, labris encomia,

mia, lingua,
Dentibus occludam. quid enim, si
THORIUS *unum*
Arguit ipse sui reliquum fecisse
stuporem?

IN EANDEM.

Carmina sputantur fumi potoribus, audi
Massiliæ si quem fumea vina juvant,
THORIUS *exemplo docuit spumantia multum*
Pocula, fumantes omnia posse tubos.

CONSTANTER.

RAPHA-

RAPHAEL THORIUS
D. CONSTANTINO
HVGEINO
Equiti &c.

S. P.

NEſcio equidem, Vir Clariſſ. quę vos iſthic agitant Phœbi intemperiæ, ut volentem nolentem ad veſtra ſacra pertrahatis. Vis eſt hęc quidem. Aſſentior tamen ἑκὼν ἀέκοντι θυμῷ. Obtinuit jam à me clariſsimus D. Kinſchotius, quod tu nunc amoris violentiâ extorques. Miſi illi ante dies octo utriuſque Pæti luſum. Prodeat, quando ita vultis, ſed indemnem præſtare authorem memineritis contra magiſtros morum, quibus forte

in

in hac ætate argumenti levitas ridebitur; & suaviter. Graviora quidem habebam, tum Ethica, tum Theologica. Quæ, si vobis salivam movissent, aliquanto libentius exposuissem. Quod si hæc præludia plausum invenerint, non recusabo ulterius in scenam progredi, vestris auspiciis fretus, ut quicquid in utramvis partem ceciderit, id vobis imputetur. Interim, quoniam jacta est alea, & fracti obices, ex tuo rogatu mitto lusum tertium, non usque adeo à prioribus, nec à tempestate, alienum. Hyems est. quę si frigida videtur, veniam secum de suo feret nomine. Comitetur Pætum, aut sequatur, si non disconvenit. Si tibi, si Rutgersio,
Hein-

Heinsio, Kinschotio, placet, gratulabor quidem, at invidebo proli fælicitatem, quam ipse sibi pater exoptat. Picturatam frontem vidi, & risi inventoris ingenium, qui tam benè res συγγυεῖς conjunxit. Cęterum, quod fœlix faustumque sit Reipublicæ, videat lucem noster ludio, ut inde hilares magis lętentur, tristes recreentur. Certè mira est hominum natura, quibus in senio placet puerilitas, & in gravissimis periculis leporum suavitas; at, modo sint condimenta, non cibi, veniam (spero) invenient apud Iudices non nimis barbatos. Vale. Londini 26. Febr. 1625.

FINIS.

IN HYEMEN
Doctiss. R. THORII D. M.

SIc Medicè decuit, sic se curasse Britannè,
Post fumos nidore frui, meliore culina
Post lachrimas, avidæque irritamenta salivæ.
En ego me, THORI, convivam sisto, vel umbram,
Qualemcunque vocas. juvat in tot fercula fundi,
Et faciem variare gulæ. juvat esse lepores
Et lepores. juvat omne tuis condire merocis,
Brumalesque dies, niveas, te judice, noctes,
Noctibus & dubias confundere solibus umbras.

Tu

Tu modo livor ades, nec prandia disce Galeni
Semper fœtida, nec puta Permesside semper
Pascier, aut solo vesci nidore Poëtam.
Hem! tales nec aqua pariunt nec ἀδειπνία *Brumas.*

CONSTANTER.

Ad [illegible]: 26. — 2[illegible]

[illegible]. (142. 162. 165–168.) 174. [illegible]

[illegible] a [illegible] [illegible] 2 [illegible]
[illegible] 67 [illegible]. [illegible] 3[illegible]
[illegible] [illegible] — / [illegible]
[illegible] [illegible] a [illegible].

